AUSPICE JEHOVA!

Magnifico JCtorum Ordinis Consensu,

DISSERTATIUNCULAM

De

JURE CLAVIUM

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Magnifici, Nobilissimi, Consultissimi atq; Excellentissimi

DN. CASPARIS ZIEGLERI

JCti Celeberrimi, & in his almis Athenis Leucoreis Antecessoris famigeratissimi; Potentiss. ELECT. SAX. Consiliarii, Facult. Jurid. Ordinarii & Senioris, Curiæ Provinc. Consistorii Eccles. & Scabinatûs Assessoris gravissimi,

Domini, Patroni ac Promotoris sui submissô animi cultu perpetim proseqvendi,

publico conflictui committet

Hanns Caspar vom Loß/

Eqv. Misn.

a. d. 8. Mens. Nov. hor. consvet.

in Acroat. JCtor.

WITTEBERGÆ,

Stanno FINCELIANO, exscribebat MICHAEL MEYER,

ANNO M. DC. LXVI.

In Nomine Domini noſtri JESU CHRISTI ad omnia conſilia, omneſq; actus ſemper progredimur l. 2. C. de Off. Præf. Prætor. Afr.

PRÆFAMEN.

N*Obiliſſimum* Juris ſtudium *non perfunctoriam, ſed exactiſsimam diligentiam reqvirere, nemo, niſi qvi vel cerebrum in calce gerit, vel, tanqvam cæcus, de coloribus judicat, negabit facilè: qvippe qvod ob ſummam ſuam tùm gravitatem, tùm maximam, vaſtisſimamq; amplitudinem ingenti omninò & ineffabili circumdatur difficultate. Non enim parum eſt, aut levis momenti negotium*, juſtitiam *ritè, recteq; ſecundùm divinarum, humanarumq; legum præſcripta, qvem finem ſolum intendit, adminiſtrare: immò dixerim, hoc inter graviſsima difficillimaq; numerandum eſſe, cui tanqvam fundamento ſalus, & ſecuritas omnium hominum innitatur. Sic enim certè juſtâ pœnarum irrogatione, præmiorumq; dignâ collatione imperium, & ſubjectio, ordo imperantium, & parentium unicè ſtabilis, & firmus eſt*, ſine qvô ſi foret ſocietas humana, nemo noſtrûm neqve ſubſtantiam, neqve familiam aliqvam, neq; religionis cultum, qvin nec vitam ipſam in craſtinum tutam, ac ab improborum inſultibus ſecuram ſibi polliceri poſſet, uti more ſuo, id eſt, egregiè loqvitur Nobiliſs. ac Conſultiſs. Dn. D. Willhelm Lyſerus, Patronus noſter colendisſimus in Prælectionib. ad Procem. Synops. Jur. Publ. Wilhelm. Beckers / *Qvàm latè autem ſeſe diffundat laudatiſsimum* Juris Studium, *unicuiq;, qvi vel limen ingreſſus eſt* Jurisprudentiæ, *non poteſt non eſſe qvàm notiſſimum. Licet enim* Sacratisſimus

mus Imperator Justinianus, *operâ Triboniani, Theophili, Dorotheiq; JCtorum maximorum* §.3. J. Procem. Constitutiones anteà confusas in luculentam erexerit consonantiam §. 2. eod. immensaq; veteris prudentiæ volumina, qvæ in bis mille libros, & aliqvot centena millia versuum excreverant, L. Omnē de Concept. Dig. *in aliqvod qvasi compendium congerens effecerit, ut*, qvod priori tempore vix post qvadriennium contingebat, hoc nos à primordio ingrediamur cit. §. 3. Inst. Procem. *tanta tamen adhuc ob diversitatem negotiorum infinitam*, dum natura novas subinde formas edere deproperat L. 2. §. 18. C. de V. J. E. *est varietas Jurium* Civilis, Canonici, Publici, Feudalis, *nec non* Statutariorum, *ut iisdem addiscendis ex asse vix unius hominis ætas sufficere videatur. Unicum Jus Civile cuiq;, cui tandem Studiorum generi sese devoverit, qvod suæ artis est, subministrare poterit. Sic* Poëta *allegationes* Poëtarum, *immò & leges, in qvibus* Poëtæ *laudantur, inveniet.* Dialecticus, *qvod suæ farinæ est, in* L. ult. §. 26. D. de mun. & hon. reperiet; qvòd notando, & disputando benè & optimâ ratione pleraqve decreverit Modestinus Herennius; *& in* L. 65. D. de R. J. *ubi* natura Soritis explicatur. Metaphysicus in L. 113. D. de R. J. & L. 25. D. de V. S. *ubi* de parte & toto *agitur*, Arithmeticus in §. 5. J. de hered. instit. & L. 13. §. 1. D. eod. *ubi* hereditas in duodecim uncias dividitur, *qvæ* assis *appellatione continentur. Huc spectat* L. 110. D. de R. J. Geometra viæ latitudinem; Geographus loca, & regiones; Astronomus horam, & diem *contemplandam reperiet*, *qvomodo* passus in dies singulos, itinere faciendo peragendi; *facit* §. 16. J. de Excus. Tut. vel Curat. Physicus de aqvâ pluviâ L. 1. pr. D. de aqv. & aqv. pluv. arc. *ut & de* partu; Medici filius *de* contagionis timore, *de* morbis; Chymista *de* mixtione auri & æris inveniet *benè multa. Qvid? qvod &* Theologo *sua non deerunt*, *sive* t. t. C. de Summa Trin. sive t. t. C. de S. S. Ec-

cles.

clef. *Spectes. Videatur insuper* Christoph. Ludov. Dietherrus, JCtus haud contemnendus, qvi additionibus suis ad Besoldi Thesaurum Pract. præclarè de re litterariâ meruit, in Præf. ad dict. Thes. Pract. Besoldi, *ut cætera brevitatis ergò silentii sipario, qvod ajunt, involvam. Inde & omni laude major Jurisprudentiæ publicæ compilator* Johannes Limnæus Jur. Publ. L. 1, c. 2. §. 4. JCtum per omnes omnium scientiarum præceptiones discurrere, *dicit*, à primis Grammatices elementis per lingvarum stadia vagari, Logicæ & Rhetoricæ campos, Physices vireta, Arithmetices & Logisticæ tabulas, Geometriæ & Astronomiæ circulos, Ethices, Politices, Historiarum porticus, Theologiæ castra, & qvicqvid deniqve nobilium est disciplinarum, peragrare: cùm debeat esse Delphicum oraculum, cujus ex tripode, & publicam & privatam petere salutem cuivis sit integrum. *Qvo igitur magis gravitate, dignitate, ac difficultate ipsum hoc* Juris Studium *sese nobis commendat, qvoq; majori, ob id, diligentiâ venit tractandum; eò celeriùs ad illud properandum nobis esse videtur, ita, ut in ipso statim flore juventutis ipsius adeamus fontes, & limpidissimas ex illis* Jurisprudentię *aqvas degustemus studiosè. Adeoq;* Nobilifs. JCtus Schneidevvinus *rectè* ad Rubr. Inst. Procem. n. 9. *ex ipsâ* Sacratissimi Imperatoris Dedicatione, *qvæ* Studiosæ Juventuti *facta est, colligit cum aliis, inter præcipua* Juris Studiosi *reqvisita censendum esse*, ne ingruentis senii vitio *laboret.* Qvamvis enim, *inqvit*, Senectus venerabilis sit, ut loqvitur JCtus Callistratus in L. 5. pr. D. de jur. immun. & melior sit umbra Senis, qvàm gladius juvenis, secundùm Bald. post textum ibi, in c. 1. X. de renunciat. neqve Senibus Studium discendi sit abjiciendum, ad exemplum JCti Pomponii, qvi in L. apud Julianum. 20. D. de Fidei commiss. libertat. inqvit: Ego discendi cupiditate, qvam solam vivendi rationem optimam in octavum & septuagesimum annum ætatis duxi, memor sum ejus sententiæ,

qvi dixisse fertur; etsi alterum pedem in tumulo haberem, non pigeret aliqvid addiscere: tamen juvenilis ætas ad Studium Juris magis apta & idonea creditur. Qvò enim qvisqve est junior, hóc perspicacior atq; docilior â Jure præsumitur, secundum gl. in L. Gallus. 29. super verba: si filius pr. D. de liber & posthum. & est bonus textus in L. præcipiunt. 37. D. de Ædil. edict. ubi eleganter dicitur, qvod trita mancipia, & veterana difficile sit reformare. *Hæc ille. Taceo, qvòd juvenilis ætas duritiei laborum sit magis tolerans, in iisq; perferendis plus valeat, qvàm ætas alia ulla.* Ars certè longa *qvoq; est*, vita brevis, *nec facilè invenietur qvisqvam tàm senex, tamq; consummatæ eruditionis JCtus, qvi non, se indies adhuc qvid addiscere & reperire sibi anteà ignotum, fateri cogatur. Itaq; qvi scopum sibi metamq; præfixam ritè attingere gestit, hoc est,* veræ, non simulatæ Philosophiæ, qvò nomine JCtus Ulpianus in L. 1. §. 1. D. de J. & J. Jurisprudentiam *insignit, exactam notitiam sibi acqvirere exoptat, primos statim juventutis annos eidem dedicet; ne forsan, dum charissimum inutilibus trivit tempus, tandem ipsi occinatur:* necessaria nescis, qvia non necessaria didicisti. *Frustrà tunc miser vel ad raucedinem exclamet:*

O mihi præteritos referat si Jupiter annos!

Hæc & alia mecum volvens, jactis, qvæ Juris Studium *antecedere debent, qvà pote, fideliter fundamentis, primum illicò, ex qvò* Emporium hocce litterarum Illustre salutavi, *annum* Jurisprudentiæ *devovi, & in illius arcanis scrutandis consumere cum DEI auxilio hactenus nullus dubitavi. Cumq; â* Patronis & Mœcenatibus Optimis Maximis, qvorum vel nutui non confestim obtemperare piaculum duco, *qvid in hócce studiorum genere profecerim, jussus fuerim ostendere; inter alias materias, qvarum amplissima seges in ipsis adeò Digestorũ, & Codicis libris prostat, ea* de jure, qvod circa CLAVES potissimũ hinc atq; inde videm9 obtinere, *commoda satis visa est, in qvâ*

tenues

tenues experirer vires; cùm suam qvoq; utilitatem hac ipsa commendet materies, jucunditate autem planè non destituatur. Qvod si verò qvorundam opinioni aut spei de me concepta parum respondisse, aut qvod minus ad palatum magnorum JCtorum est, irrepere passus esse videbor: cogitent, in magnis & conatum laudandum esse; *preprimis cùm exasciati qvidqvam à me sperari neqveat, qvippe cujus tenuitas ingenii est notoria, & in difficillimo Juris studio, cujus vix fores ingressus sum, infantia nemini non perspecta satis atq; cognita. Idcircò ut cuncta aeqvi boniq; consulat simulq; mendas, atq; errores suâ benevolentiâ corrigat,* Æqvum Lectorem *peramanter rogamus. Caeterùm cùm secundum effatum* c. principatus, & ibi gl. c. 1. qv. 1. difficile admodum sit, ut bonô peragantur exitû, qvae malô sunt inchoata principiô: *nemo autem meliùs auspicari qvicqvam possit, qvàm Divini Numinis invocato auxilio* per Nov. 85. pr. l. 1. & 2. C. de off. Praef. Praet. Afr. Nov. 6. in. praef. c. 2. X. *de test. & attestat. Ideoq;* Deum Trinunum, cujus tanta est circa nos providentia, ut semper aeternis liberalitatibus nos sustentare dignetur L. 2. pr. C. de V. I. E. & ad cujus animos nostros erigimus adjutoriû, ut neq; nostro ingenio, confidamus, neq; viribus nostris, sed omnem spem ad solam referamus summae Trinitatis providentiam, unde mundi totius elementa processêrunt, & rerum dispositio in orbem terrarum producta est L. 1. pr. C. eod. & pr. D. de Concept. Dig. *fervidissimis veneramur precibus; ut huic labori nostro primigenio Juridico ex alto benedicere, & suâ clementiâ, qvâ mirum in modum nos hactenus amplexus est, porrò nobis adesse velit! Atq; ita nunc,* QVOD FELIX FAUSTUMQVE SIT, *rem ipsam aggredimur.*

§. I.

JCtus Cajus in *L. 1. D. de Orig. Jur.* Omnem rem necessariò prius â suis initiis repetendam esse arguit, qvod non tantùm

tùm cujusq; rei potisſima pars ſit principium; ſed & inconveniente ratq; illotis manibus rem aggrediaturis, qvi omisſis initiis atq; origine non repetitâ protinùs materiam tractare inciperet. Ne igitur & nos hâc in in parte uspiam peccemus, rem, qvantũ posſibile fuerit, â ſuo principio ordiemur. Non malè autem nos facturos eſſe arbitramur, ſi CLAVIUM primam originem in ipsâ rerum cuſtodiâ, ut ſcilicet eæ â manibus furum tutiores ſecurioresq; esſent, ponamus. Eqvidem diffitendum haud eſt, qvod Philoſophorum Aqvila *Ariſtoteles in L. 1. Polit. 2.* adſtruit; homines in ſocietatem coivisſe ideò ut tutò ac commodè in omnibus ſimul viverent: aſt plures finem hunc aut parùm, aut omninò non fuisſe asſecutos, qvis non videt? Poſtqvam enim dominia rerum esſent diſtincta (id qvod primâ ſtatim hominum ætate factum esſe intrepidè ſtatuimus, explosâ primævâ illâ rerum communione, qvæ apud Poëtarum filios paginam utramq; facit, nixi authoritate *Magnifici, Nobilisſimiq; Dn. Præſidis, Patroni noſtri ſubmiſsâ animi veneratione æternùm proſeqvendi in Notis ſuis doctisſimis ad Grot. L. II. c. 2. §. 2. verbô Deus humano generi generaliter contulit jus &c.* ut & *Diſput. de jure Belli Th. 5.* nec non *ſummi illius Poly-hiſtoris Dn. D. Strauchii, in Diſp. de Imperio Maris, & Nobilisſimi atq; Excellentisſimi Dn. D. Wilhelm. Leys. in Diſp. de proprietate rerum*) factum eſt, ut rariùs qvisq; ſuô contentus viveret, qvin potius alienas ſitiret maximè opes. Scimus qvidem, qvanti poſt miſerabilem Protoplaſtorum lapſum, ad ſuſtentandam vitam exantlandi labores ſint, devorandæq; moleſtiæ; & indè ſors illorum haud parùm deprædicatur, qvi rerum abundantiâ gaudent, ubi contra ea miſerrimi cenſentur qvibus res anguſta eſt domi; ut ex eo humanus animus ad divitias concupiſcendas non posſit non paupertatis ſtimulo impelli. At enim verò eò tandem malitiæ, prolapsa eſt depravata mortalium natu-

ra

ra, ut nihil qvicqvam curaret, jure ne, an verò injuriâ rem suam amplificaret, communem æqvitatis naturalis regulam, neminem cum alterius damnô locupletiorem fieri debere *L. 38. D. de heretit. petit. L. 14. D. de condict. indeb. l. 206. D. de R. J. c. locupletari. 48. de R. J. in 6to.* parvi flocciq; pendens. Cùm igitur indies novas sibi excogitarent technas homines, qvibus vel clàm, vel palàm alterius bona corraderent; ut insidiis & astutiis ea non modò surriperent, sed & qvandoq; diriperent violenter; securitas illa, qvàm sibi ab initió pollicebantur in societatem cöeuntes, in perpetuum degenerabat metum, qvô haud raró torqvebantur maximè, ne sua amitterent. Hinc leges qvoqve acerbissimæ fuerunt latæ, qvæ rigore suo rapaces coërcerent manus suppliciis gravissimis, immò & ultimô præstitutis: ut hâc ratione securius qvisq; sua possideret, & sarta tectaq; haberet bona. Nec deerant qvi varia inveniebant remedia, qvibus privatus qvilibet sua commodius custodiret, inter qvæ haud infima tenet subsellia serarum usus, cujus auxilio adhibitis CLAVIBUS ædes, arcas, cistas, armaria, cellas, & id genus alia retinacula claudere, atqve indè tutiùs asservare, qvicqvid ridens fortuna ipsi concesserat, qvilibet valebat.

II. Anteqvam verò ulterius provehamur, non adeò inamœnum forsan fuerit, paucula qvædam ὥς ἔν παρέργῳ de nominis notatione, vel origine vocis CLAVIS præmittere. Patriam agnoscit Græciam, & derivatur à verbô κλείω, qvod est claudo. Nam κλεὶς s. κλῇς & Æolicè κλαῒς Græcis CLAVEM significat. Sicut igitur Latinis etiam aliàs mos est ex Græcô ὠὸν ovum, ex αἰὼν ævum, ex βιῶ vivo facere; ita & hîc loci inserto nimirum Digammate Æolico, ex Græco κλαῒς fit Latinum CLAVIS. Vide *Bechman. de Origin. Latin. Lingv. p. m. 130. sub voce claudo*, ut & *Corvini Font. Latinitat. p. m. 202. sub vocab. CLAVIS*, necnon *B. Schmid. de Dialect. in Epistol.*

stol. Dedicator. Hinc Latinum *Claudo*, qvasi *clavido*; id qvod qvidam à *celando* dictum volunt, qvæ tamen sententia à plurimis, iisq; sanioribus non admittitur, utpote, qvæ magis allusionem, qvàm veram vocabuli originem præbeat. A κλεὶς, & κλείω est diminutivum κλειδίον, Clavicula & κλειδοποιὸς, adjectô verbô ποιεῖν, qvod facere significat, clavicularius faber, ut & κλεῖθρον claustrum, qvod & clausuram dicimus. *Promptuar. Gramm. Johannis Norwegl Class. 2. p. m. 490. vocab. claudo.* Alioqvin apud *Homerum* κλεὶς est vectis, ut & apud *Plautum in Casin. A. 5. Sc. 2.*

Ubi intrò hanc novam nuptam deduxi, viâ rectâ clavem
Obduxi.

Sera qvoq; *Ovidio* dicitur:

Excute poste seram. &c.

Nec non *Horatio l. 2. od. 14.*

Absumat heres Cæcuba dignior
Servata centum Clavibus.

Ubi *CLAVES*, seræ s. claustra sunt. Huc refert *B. Buchnerus*, magnum illud Eloqventiæ sidus, *in Thes. Fabri p. m. 238. b. sub voce CLAVIS*, illud *Tibulli L. 1. Eleg. 6.*

Qvid tenerâ tibi conjuge opus? tua si bona nescis
Servare; abfrustrà CLAVIS inest foribus.

Vid. *Bechman. cit. loc.* ut & *B. Taubmannum in Plaut. Mostell. Act. 2. Sc. 1. p. m. 538. ad verba: CLAVEM mihi harunce ædium Laconicam* &c. Germanicè CLAVIS dicitur ein Schlüssel/ Gallicè *une Clef.* Ital: *Chiave.*

III. Inspectâ jam nunc, qvantum temporis & instituti nostri ratio permittit, vocabuli origine, pedem ad alia movemus. Author est *Job. Heinr. Ursin. in Analect. Sacr. L. 1. c.* 48. antiqvissimis temporibus ante usum CLAVIUM repertum, fuisse morem colligandi repositoriorum ostia, aut opercula nodis; id colligens ex *C. Plin. Secundi*, qvem Natu-

ræ

ræ, Panegyristen nobilissimum appellat excerpendi magister *Drexelius in Aurifodina sua P. I. c. 3.* Hic ipse *Lib. Natural. Histor. 33. c. 1. Homerum*, inqvit, *indicare, conditas antehac arcis vestes, ac vasa aurea, argenteaq́; & ea colligata nodis, non annuli notâ.* Qvam sententiam qvoqve fovet *Jacob. Cujacius*, JCtus consummatissimus, *in observ. L. 12. c 37.* dum, postqvam, *Veteres solitos fuisse paria vasorum, aut bina paria plumbo colligare nodò qvòdam metuente solvi, ne facilè contrectari & locô moveri possent*, dixisset *arg. L. 19. D. de aur. argent. mund. &c. legat.* ipsa *Plinii* verba adducit, addens; *Homerum eqvidem non vasa invicem colligata indicare, sed arcam, in qvâ erant vestes, & vasa, positô operculô fuisse colligatam firmissimè nodò, ne qvis ex eâ qvid surriperet.* Sic enim *Arete* alloqvitur *Ulyssem:*

Αὐτὸς νῦν ἴδε πῶμα, θοῶς δ' ἐπὶ δεσμὸν ἴηλον,
Μή τις τοι καθ' ὁδὸν δηλήσεται.

Ipse nunc vide de operculo, statim verò vinculum circumliga
Ne qvis in itinere tibi damnum afferat.

Cui mox obtemperat *Ulysses* præligans arcam nodô multiplici, qvem docuerat *Circe*:

Αὐτίκ' ἐπήρτυε πῶμα, θοῶς δ' ἐπὶ δεσμὸν ἴηλε
Ποικίλον, ὅν ποτέ μιν δέδα εφρεσὶ πότνια Κίρκη.

Statim aptavit operculum, celeriter autem vinculum ligavit
Varium, qvod olim docuit ingenio veneranda Circe.

Qvam eqvidem opinionem, utut conjecturis haud levibus nitatur, suo tamen relinqvimus loco; nec eandem nostram omninò facientes, nec propter authoritatem *Cujacii*, qvam meritò maximi facimus, planè rejicientes.

IV. CLAVEM verò unà cum torno & normâ *Theodorum* qvendam *Samium* reperiisse, asserit *Polydorus Virgilius de rer. invent. L. 3. c. 14.* authore suprà laudato *Plinio L. 7. c. 56.*

B qvi

qvi in enumeratione inventorum variarum rerum ita disserit: *Fabricam materiariam Dædalus, & in eâ, Serram, Asciam, Perpendiculum, Terebram, Glutinum, & Lithocollam invenit; Normam verò, Fornicem & Libellam, & Tornum*, & *CLAVEM Theodorus Samius*. Dictus hic procul dubio est à Samô Insula inter Icariam & oram Asiæ, in qvâ Ephesus est, sita. Ejus mentionem facit *Pausanias in Commentar. de Veteribus Græciæ Regionibus Libro 3. qvem Laconicam nominat, p. 171.* eum scilicet ferrum fundere primum docuisse, & ex eô signa fingere. Item *Lib. 8. Arcad. p. 438.* primum æs conflare, & cudere docuisse eum unà cum Rhæco Philæi filio, nec non Smaragdum illum cælâsse, qvem freqventissimè gestavit, qvôq; maximè delectatus est Polycrates Samiorum Tyrannus; idem qvoqve *Pausanias in Lib. 10. Phocic. p. 627.* affirmat; ubi tamen addit, nullum se Theodori opus, etsi nihil, qvod fuerit ex ære fabricatum, se omnia investigantem præterierit, reperire usqvam potuisse. Plura forsan de hôc Theodoro Samio apud Græcarum Antiqvitatum compilatores legenda prostabunt, qvò brevitatis studiosi Cupidum Lectorem remissum volumus. In hanc sententiam inclinâsse videtur, *Cujacius, in Observ. Lib. 12. c. 37.* ubi serarum, CLAVIUMq; inventum Laconibus tribuit. Ut certum omninò exinde evadat, Græcos primos earum fuisse inventores, licet certi qvid de authoris nomine affirmare haud adeò tutum esse videatur.

V. Qvicqvid tamen horum sit, *Salmasius in Solin. p. 925.* duo genera CLAVIUM apud antiqvissimos Græcos in usu fuisse affirmat: βαλανάγρας καὶ λακωνικάς. Βαλανάγρας *cum serâ ligneâ, hoc est* μοχλῷ *& longiores, unicô dente, qva* βάλανον *ex serâ traherent, qvô genere portas urbium clausas fuisse, vel ipsis Æneæ Tacticis testibus, ut & januas, hoc est primores, & in publicum euntes ædium fores.* Λακωνικὰς *verò fuisse breviores,*

multis

multis dentibus, & artificii solertioris, qvæ clauſtro immiſſa tota laterent. Ideoq́, inqvit, κρυπταὶ, & καλυπταὶ *dicebantur, & ſuccutiendo & ſurſum impellendo repagula decutiebant; repagula ipſa non lignea, ſed ferrea, & brevia, qvibus conclavia & cætera interiora ædium membra occludebantur.* Hæc ille. Notat & antè citatus *Johann. Heinr. Urſin. in Analect. Sacr. Lib. 4. c. 31. de clave Laconica.* ad aperiendum duas priſcis ſerviiſſe CLAVES, *alteram* ὀπτὴν, *qvæ* ἔξωθεν, *alterā verò* κρυπτὴν, *qvæ* ἔσωθεν aperiret. Hanc poſteriorem dictam fuiſſe Laconicam. Sic enim *Theon:* ὐχ', ὡς νῦν, ἐκτὸς ἦσαν αἱ κλεῖδες, ἀλλ' ἔνδον τὸ παλαιὸν παρ' Αἰγυπτίοις, καὶ Λάκωσι. hoc eſt: *Non, uti hodie, extùs erant CLAVES, ſed olim, ut apud Ægyptios & Lacones, intùs.* Sic & Plautinum illud ipſi accipiendum eſſe videtur: *CLAVEM mihi harunce ædium Laconicam jam jube efferri intùs, haſce ego ædes occludam hic foris;* qvod utramq; CLAVEM apud ſe ſervare voluerit trifurcifer Tranio, ut nec ingredi, nec exire, ſe invitò, qvisqvam poſſet. *Moſtell. A. 2. Sc. 1. B.* certè *Taubmannus, vir* κριτικώτατ☉ dicit Laconicas CLAVES Ariſtophani κρυπτὰς κλεῖδες fuiſſe appellatas, qvia impactæ clauſtris vix apparerent. Qvin & Feſtum Avienum difficilem locum Arati interpretantem, qvùm hebetem lucem Caſſiopeæ denotare vellet, hunc in modum fuisſe locutum; *non magis ſcilicet eam apparere, qvàm CLAVIS Cariæ foribus impacta:*

Lux hebes eſt matri, vix qvalem Caria qvondam
Noverit intrantem per clauſtra ſonantia CLAVEM.

Hinc *Clavem clauſam* & κρυπτὴν eam fuisſe asſerit, qvæ intùs olim aperuit & contrariam habuit ὀπτὴν. *Scaliger in Appendic. Virgil. Clauſam*, inqvit, *Clavem Author Moreti vocat, qvæ intùs aperiebat, & forinſecùs claudebat, qvàles erant Laconicæ.* Eſt & aliud genus *CLAVIUM*, qvarum mentio fit apud *Lipſium in Not. ad Tacit.* Hic enim *Lib. 2. Annal. Irridebantur, ait, Græ-*

ci comites, ac vilissima utensilium annulo clausa. Ad qvæ verba *Lipsius in excursu ad hunc loc. lit. B.* fuisse tales annulos, qvi adjunctas haberent CLAVES annulatas appellatas, ad duplicẽ usum signandi, aperiendiqve: *seq; ipsum vidisse in Batavia ejusmodi annulos signatorios, cum adjunctis CLAVIBUS,* [*ferreos tamen*, ex qvô colligit, *servorum fuisse, aut vulgarium militum*] *complures erutas; magnitudine digitorum minimi.* Formam eorundem ipse typis expressam apposuit, qvò brevitatis causâ Lectorem remittimus. Ad hos qvoqve annulos pertinere vult *Valerij Maximi locum lib. 7. cap. ult. Insuperq; annulos suos ei tradidit; videlicet, neqvid ex eâ hereditate, qvam non erat aditurus, amitteret. Qvos ocyùs* (alij leg. Oppius) *vir diligens, sed morientis amici plenum contumeliæ ludibrium, in locellum repositos, & à præsentibus obsignatos diligentissimè, heredibus illius exheres ipse reddidit.* Plura id genus afferre instituti nostri non est; cui volupe est ulteriùs in antiqvitates inqvirere, poterit de CLAVIBUS & earum generibus, nec non de ratione claudendi apud veteres, consulere *Isaacum Casaubon. ad Æneam Tacticum cap. 18. 19. 20. itemq; Salmas. Exercit. Plin. p. 925. & seqq.* qvos citat antè laudatus *B. Buchnerus in Thes. Fabr. voc. CLAVIS.*

VI. Ceterùm insignem CLAVIUM utilitatem multis verborum ambagibus deprædicare hâc vice supersedemus; Hoc n. qvi fecerit, næ! ille solem facibus adjuverit *c. si omnia. 7. caus. 6. qvæst. 1.* cùm nullius non oculis conspiciendam ea sese sistat indies. Satis luculentum de se ipsâ *CLAVIS* adfert virtutis suæ testimonium, qvando apud *Joach. Camerar. in Elem. Rhetor. pag. m. 305.* seqventibus hisce versiculis se describit:

Virtutes magnas de viribus affero parvis,
Pando domos clausas, iterum concludo patentes,
Servo domum domino, sed rursum servor ab illo.

Sicut

Sicut a. semper prudentiâ humanâ DEI ter Opt. Max. auxilio crescente, Diabolo autore vires acqvisivit malitia; ut nihil fermè tantâ bonitate gaudeat, qvô non etiam ad pessima qvæq; abutantur homines: ita tantùm abest, ut intemeratus, ad qvem destinata erat nostra, usus permanserit continuò, ut potiùs astutiâ & calliditate furum pessimè fuerit depravatus. Hinc ea, qvæ asservandis rebus erat comparata, furto auferendis adhibebatur, & qvæ ab initiò malè feriatorum conatus frustrabatur haud parum, nunc eosdem adjuvabat maximè. Qvod ipsum etiam maleficiorum virus longè lateq; serpsit, ut nec nostris in oris desint, qvi auxilio CLAVIUM furta committere soleant. Probabile est *Græcos*, qvi CLAVIUM inventores esse perhibentur, primos qvoq; fuisse, qvi iis ad furta eò occultiùs & faciliùs perpetranda, fuerint abusi: cùm *Græca fides* apud clarissimos qvosq; Autores, immò & hodienùm non adeò benè audiat. Certè profectò summus ille in dicendo artifex *Tullius pro Flacco*, *Græcis literas tribuit, dat multarum artium disciplinas, non adimit sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam: testimoniorum verò religionem & fidem nunqvam nationem istam coluisse* asserit. *Idem ad Attic. lib. 1. Epist. 1. Omnes vias pecuniæ nôrunt, & omnia pecuniæ causâ faciunt Græci.* Et *Juvenal. satyr. X.* Græciam *epitheto: Mendax.* ornat: qvid? qvod ipsum furtum apud *Lacedæmonios* non turpe judicatum, sed laudi habitum fuisse, testetur *Agell. lib. 11. Noct. Att. 18.* nec non *Alex. ab Alex. lib. 6. Genial. dier. c. 10. p. m. 340. a. vid. Petr. Theodor. Colleg. Crimin. Disp. 2. th. 1. lit. G. & Drexel. Aurifod. part. 3. c. 2. p. m. 286.* Id qvod eô amplius confirmatur ex eô, qvòd *Claves Laconicæ*, secundùm tradita *Taubmanni in Plaut. Mostell. act. 2. sc. 1. sint* ex, qvæ hodiè *adulterinæ, ad imaginem veræ alicujus confectæ, furinæ, Germanico* idiomate Dietterische / Diebs-Schlüssel / & Nach-Schlüssel / Gall. *fausses clefs*, appellari consveverunt.

VII. Vocantur illi, qvi CLAVIBUS Laconicis aliena auferunt à *Budæo fures uncinarij*, sine dubio à *ferreis uncis*, qvibus qvandoqve gaudent ejusmodi CLAVES, ut ad qvodvis claustrum aperiendum reperiantur aptiores. A *Cujacio in Paratitl. D. de Effractor. & Expil. apertularij*, ubi & illos eos esse, ait, qvos *JCtus Ulpianus in l. 1. D. eod. directarios* appellat, qvibus nempe in cœnaculis, qvæ ingrediuntur, nihil tam est obseratum, occlusum, obsignatum, qvod non aperiant. *Idem in recitat. ad l. 19. C. de pign. Gall.* eos dici, *crocheteurs des portes*, adstruit, à communi forsan Gallicè loqvendi formulâ, ubi *crocheter une serrure*, Ein Schloß mit einem Dieteriche aufmachen / significat, *Duez in Dict. Gall. vocab. Crochet.* Hos ipsos qq. in *d. recit. ad l. 19. C. de pign.* describit tales, *qvos vix ullus tàm diligens est, ut cavere possit*; vid. *Nobiliss. atq; Excellentiss. Dn. Tabor. in Racemat. Crimin. p. 481. n. 21.*

VIII. Tralatitium est in Scholis JCtorum; *cogitationis pœnam neminem pati, l. 18. D. de pœn. Jacob. Schult. ad Modestin. Pistor. part. 3. qvæst.* 130. *n.* 69. *Magnificus & Nobilissimus Dn. Benedictus Carpzovius, qvi, ut summè de Rep. dum in vivis esset, meruit, ita cum maximò ejusdem damnò ac universali bonorum omnium luctu non ita pridem vitâ functus est, in suâ Pract. Crim. part. 1. qvæst. 17. n. 18. & qvæst. 22. n. 69.* Ea n. interior animę cum semetipsâ collocutio est, qvæ fit sine expressâ voce: undè nec, cum nuda adhuc & in animô lateat, nec verbis factisvè sit detecta, puniri potest. *Petr. Theor. Colleg. Crim. Disp. 5. th. 1. lit. D.* Indubitatum tamen hactenus perstitit, crimina præmeditata, qvæqve præcedaneam habent majorem proæresin, graviora esse judicanda, ac atrociùs punienda. Nec n. certè à qvôqvam magnitudo delicti justè æstimari poterit, nisi accurata consilii & voluntatis perpetrantis ratio habeatur. Malitia n. cuiusq; actûs pravi à voluntate

pro-

procedit, qvæ præcipua est in omni peccato, cùm prima causa peccati sit in voluntate, qvæ imperat omnes actus humanos. Non obscurè hâc de re docemur à *Paulo JCto in l. 53. D. de furtis.* qvi, *Maleficia*, inqvit, *voluntas & propositum distingvit:* hoc innuens; maleficiorum differentiam, an hoc illô levius atrociusvè sit, perspici neqvire, nisi insuper an in hôc vel illô major voluntas, intentio, proæresis, consiliumq; affuerit, probè attendas. Respexit hùc etiam *Callistratus in l. 14. D. ad L. Corn. de Sicar. & venef.* ubi, in maleficiis voluntatem respici, apertissimis testatur verbis. Unicum homicidii exemplum nobis impræsens instar sit omnium. Qvi n. ex proposito ac prævià deliberatione hominem occidit, majus sine omni dubio crimen committit, ac is, qvi ex calore iracundiæ, aut alio qvovis impetu alium interficit. Et hæc causa forsan fuisse videtur, qvòd *Jure Justinianeô* pœna Legis Corneliæ locum qvoq; in illis habuerit, qvi hominis necandi gratiâ venenum tantummodò confecerint, *l. 1.* §. 1. *D. ad L. Corn. de Sicar.* vel medicamenta mala solummodò vendiderint *l. 3.* §. 1. *D. eod.* & qvi cum telo ambulaverint hominis necandi causâ, *l. 1. pr. D. eod. l. 7. C. eod.* Qvod si ergò à minori ad majus argumentum nectere licet, licet autem velmaximè, qvantò majori pœnâ afficiendus fuerit ille, qvi non solùm aliqvod delictum patrare secum constituit, sed & deterrimum propositum suum in effectum produxerit.

IX. Furtum verò naturâ turpe esse, exsertè affirmant altæ mentis JCti *Ulpianus & Paulus l. 42. D. de V. S. & l. 1. D. de furt.* qvos etiam secutus est, qvi primò loco nominandus fuisset, summus JCtus, *Imperator in* §. 1. J. *de Obl. qvæ ex del. nasc.* Hanc tamen naturalem turpitudinem magis ac magis augeri, qvando præmeditato consilio & ex proæresi qvâdam insigni in bona proximi involatur, ex jam dictis patet oppidò. Hinc anxiè ungves rodendi non sunt, num furtum per CLAVEM

Laco-

Laconicam vel adulterinam commiſſum gravius ſit eô, qvod ſimpliciter patratum eſt, ſine tali apertione, in re parum diligenter cuſtoditâ, ex incuriâ fortasſis domini apertas fores, feneſtras, aut arcas, & ciſtas relinqventis: qvippe qvod major ſtatim proæreſis ac voluntas ex eô de facili colligitur, qvòd ad inſtrumenta illa tùm conficienda, tùm ad uſum ſuum accomodanda longiuſculum temporis ſpatium reqviratur; qvid? qvòd nec metuat pesſimus periculum, nec vereatur ſe inter aperiendum, qvod non ſemper primô ſtatim conatu fieri ſolet, in ipſo opere poſſe deprehendi. Cùm ergò pœnæ debeant commenſurari delictis *l. perſpiciendum, II. D. de pœn. c. ſicut dignum 6. X. de homicid. vel vel caſ. c. felicis. verſ. illud autem. de pœn. in 6.* dicendum utiq; foret, majori pœnâ plectendos eſſe hujus criminis reos, ac illos, qvi ſimplici furto rem alterius abſtulerint.

X. Hàc ipsâ ratione ducti nonnulli hanc furti ſpeciem inter ea, qvæ cum effractione conjuncta ſunt, ponendam, adeoq; rigore *Ordin. pœn. Caroli V. art. 159. & ſeq.* capitali ſupplicio puniendam, ſtatuunt. Immò & in hâc ipsâ Controverſiâ diſſentiunt inter ſe JCti noſtræ ætatis maximi, *B. Dn. Carpzov. in pract. Crim. Part. 2. qvæſt. 79. & Juriſpr. For. Part. 4. Conſt. 32. def. II.* & *Dn. Tabor in Racemat. Crim. Analyt. Expoſit. Art. 159. Ordin. Pœnal. Carol. V. de Furto periculoſo per Effract. &c.* Hic enim textui Ordinationis Carolinæ inſiſtens propter omnem effractionem pœnam laqvei vi *cit. art. 159.* locum invenire aſſerit, non attentâ qvantitate 5. ſolidorũ, ab Imp. Friederico *in c. 1. §. ſi qvis qvinq; ſolidos. 5. tit. de pace tenendâ & ejus violat. 27. F. 2.* primùm conſtitutâ, à Sacratiſſimis autem Impp. ſeqventibus, Sereniſſimisq; Saxoniæ EE. approbatâ ac confirmatâ. Nititur, ut antè dictum, principaliter generalitate textûs *Ordin. pœnal. Caroli V. art.* 159. ubi dicitur: Der Diebſtahl / darzu alſo gebrochen / oder geſtiegen

wird/

wird/ist ein gefährlicher (interpret: *dolosum & proereticum*) und geflissener Diebstahl / it. der in eine Behaltung bricht/ &c. Exindè evincere conatur, non præcisè reqviri, ut effractio armis & vi qvâdam ingenti fiat; sed sufficere CLAVIBUS adulterinis ædes vel ostium esse effractum; suæq; assertionis testem advocat *Jacob. Menoch. 5. præsumt. 31. n.* 17. Ex alterâ parte *B. Dn. Carpz.* æqvitatem magis secutus, qvam non improbat *Dn. Tabor, Ordin. pœnal. Carol. V. art.* 159. restringendum esse, ait, ad furtũ cum effractione violentâ & seditiosâ commissum, hoc est, armis, magnâ adhibitâ violentiâ, *n. 5. qvæst. 79. part. 2.* idq; ibidem fusiùs probat.

XI. Nos eqvidèm hanc litem nostram neutiqvam facimus, nec m. tyronibus juris convenit unqvam inter tanti nominis JCtos tàm gravem decidere controversiam: cum *Dn. Tabore* tamen hactenus facere non possumus, ut statuamus CLAVE Laconicâ commissum furtum nullâ habitâ ratione ad valorem rei subtractæ vindicandum esse captitali supplicio, non minus atq; effractionem aliam. Posito n. non semper reqviri *arma & summam violentiam* in furtô, de qvô disponit dictus textus in *Ordin. Carol.* agitur tamen ibi nihilominus de *furtô per effractionem commissô*, cùm expressissimis inibi dicatur verbis: Der in eine Behaltung bricht / qvæ verba sicut in propriô suô significatu accipienda veniunt, *l. non aliter. D. de Leg. III. l.* 7. §. *Servius. 2. D. de suppel. leg.* ita sole meridianô clariùs nobis ostendunt, de effractione sermonem Sacratissimo esse Ordinanti. Ex qvô fundamentô verô probari possit, aperturam istam, qvæ fit CLAVE Laconicâ esse *effractionem*, hactenus tenuitas ingenii nostri perspicere haud fuit potis, cùm impossibile videatur, *effractionem* fieri posse *sine læsione*, sed qvæ per CLAVEM Laconicam, aut nũqvam, aut admodùm rarò contingit. Id qvod & calculô suô comprobat *B. Dn. Carpzov. Pract. Crim. Part. 2. qvæst. 79. n.* 40. qvan-

40. qvando *ejusmodi aperturam*, dicit, *propriè effractionem non esse*, sed potiùs *clancularium, dolosam & astutam apertionem*. *Menochius autem cit. loc.* neqvicqvam sententiæ *Dn. Taboris* favet, non n. ibi affirmat sufficere, si ædes vel ostia *CLAVIBUS* adulterinis sint effracta, ad pœnam capitalem; sed tantùm *præsumtionem furti certo respectu* militare adversus eum, apud qvem *CLAVES* adulterinæ repertæ sunt.

XII. Cum ergò absqve lege loqvi erubescamus, *Nov. 18. c. 5. v. sed qvia non.* Ideoqve silente *d. art. 159. Carol. V.* de ejusmodi astutâ aperturâ, & de effractione ac conscensione solummodò disponente, ad qvas species hanc non posse referri & suprà probatum dedimus, & res ipsa testatur, nobis integrum non erit, pœnâ capitali eam absqve attentâ qvantitate furti cöercendam esse, statuere. Accedit, qvòd mitior & benignior sententia in odiosis & pœnis sectanda sit, *l. 32. D. de pœn.* & interpretatione pœnæ molliendæ potiùs sint, qvàm asperandæ. *l. pen. D. eod.* vid. prætereà *c. 49. de R. I. in 6. l. 155. §. 2. D. eod. l. c. 22. de elect. & elect. potest in 6.*

XIII. Qvid ergò? num impune ferent flagitium suum pessimi ejusmodi fures? Absit hoc: Reip. n. interest, ne maleficia maneant impunita *l. 51. D. ad L. Aqvil.* & hoc ipsum vigor publicæ disciplinæ postulat *l. locatio. 9. §. 5. ubi glos. in verb. alterum D. de publ. & vectigal.* per indulgentiam n. ac veniam uni datam, ad prolapsionis contagium multi alii provocantur. *arg. c. 3. X. de cohab. cler. & mul. c. non est innocentia. 23. qvæst. 5. B. Dn. Carpz. Pract. Crim. part. 3. qvæst. 142. n. 3.* qvare & delictorum punitio iniqvitatis & malorum medicina dicitur *Aristot. in 2. Ethic.* nec non *Paul. de Castr. sanctissimum*, inqvit, *esse officium, si fiat justitia de criminiosis, nec posse pingviorem victimam mactari DEO, qvàm homo sceleratus; secundùm Senecam; Schneidew. in Comment. ad Instit. de Obl. qvæ ex del. nasc. n. 2.* Ut igitur in omnibus, ita & in hôc

flagi-

flagitiô coercendô non defuit majorum cura, qvi suas qvoq; pœnas eidem dictitârunt, easq; haud leves. Et, si qvidẽ *Cujacio* credimus, qvod *Directarij*, qvorum in *l. 1. D. de Effr. & Expil. & lib. 7. D. de extraord. crim.* fit mentio, ij sint, qvi vulgò apertularij appellantur, hoc est, qvi CLAVIBUS adulterinis, aut aliis instrumentis fores & cistas aperire sine læsione seræ solent; res in aprico est, & de Jure Civili satis acris præstituta pœna. Sic n. *JCtus Ulpianus in l. 7. D. de extraord. crim. Qvi directarij vocantur, hoc est, qvi in aliena cœnacula se dirigunt furandi animô, plusqvàm fures puniendi sunt. Idcircoq; aut ad tempus in opus dantur publicum, aut fustibus castigantur, & dimittuntur, aut ad tempus relegantur.* Id qvod repetit in *l. 1. D. de Effract. & Expilat.* ibidemqve eos *atrocioribus furibus, expilatoribus* nimirum, æqviparat, atqve ideò in *opus publicum* vel *perpetuum*, vel *temporarium* dari solere, asserit. Sola n. furti pœna, qvâ qvis de Jure Civili in duplum vel qvadruplum condemnabatur, non sufficere videbatur ad vindicandum satis hoc crimen, cùm ex firmiori animi destinatione ac propositô furandi, qvod maxima furum audacia de facili ostendebat, majus qvoqve delictum alio simplici censeretur. Crescente igitur delicto, exacerbandam qvoqve pœnam esse, ducebat JCtus, cujus sententiam eum in finem in Digesta sua referri Sacratissimus Jurisprudentiæ restaurator jussit, ut unicuiqve, eandem & suo tempore obtinere, constaret. Hanc autem poenam moribus Saxonicis non improbari, asserentem habemus *Carpz. in Pract. Crim. Part. 2. q. 79. n. 42. & Jp. For. Part. 4. Const. 32. def. 11.* ubi Scabinos Lips. ita aliqvando pronunciâsse testatur, adducendo eorundem præjudicium, ad reqvisitionem Qvæstoris Dippoldisvvaldensis, Mens. Jun. Anno. 1626. datum. In eô tn. discrepant hodierni mores, qvod de Jure Civili alterutra poenarum, aut fustigatio, aut relegatio delinqventi infligeretur; hodiè verò, inq;

hisce terris cumprimis,& fustigatio & relegatio, uti plerumq; hæc illi adjungitur in foro Saxonico, locum habeat; Hat M. K. in guten befand/daß er im Churfürstl. Forberge in der Nacht durch ein Secret eingestiegen / den Pferdestall mit einen Dieterich eröffnet/und darauß Pferde Geschirre/ Getraydig und andere Sachen gestohlen &c. So wird er derowegen öffentlich billich zur Staupen geschlagen/ und nach ausgestandener leibes Straffe des Landes ewig verwiesen / V. R. W. Et licet in jam allato præjudicio conscensionis insuper fiat mentio, qvia tamen propter qvod unum qvodq; tale est illud magis est tale, secundùm tradita Philosophorum, ideò magis respexisse videntur Scabini ad aperturam CLAVE Laconicâ propter qvã conscensio à delinqvente fuit facta. Diversa verò circumstantiarum genera, qvæ imposibile est omnia LLbus posse comprehendi, cùm rem multoties varient, multùm hâc in parte judicis arbitrio erit tribuendum, qvi vel minima qvæq; probè & accuratè examinare debet, ne qvid, aut duriùs aut remisiùs, constituatur, qvàm causa deposcit, *per l. 11. D. de pœn.* Si tamen valor rei subtractæ 5. solidos excedat, qvin gravior omninò reo poena, immò pro qvalitate personæ, conditionis, temporis, & causæ impulsivæ capitalis qvandoqve infligenda sit, nullum prorsus est dubium.

XIV. Num a. indifferenter, non habitâ qvalitatis personarum ratione, suprà enumeratæ poenæ in hôcce per CLAVEM Laconicam commisśó furti crimine inveniat locum? haud abs re hic dubitari potest. *Ulpianus* certè in *d. l. 1. D. de Effr. & Expil.* differentiam aliqvam constituit, dum honestiores dicit ordine ad tempus esse removendos, vel ipsis, ut fines patriæ excedant, imponendum; & in fine ejusdem Legis judices expresśè hortatur, ne qvis eorum in judicando poenam relegationis in honestiore excedat. Cui suffragatur cōmunis sententia, plerumqve in puniendis delictis dignitatis

ratio-

rationem haberi debere *l. 1. in fin. D. de furib. baln. l. 1. §. 3. D. de abigeis. l. fin. D. de incend. ruin. naufr. l. 6. pr. in fin. D. ad L. Jul. pecul. l. 9. §. 11. l. 28. §. 2. D. de pœn. c. qvi contra. 24. qvæst. 1.* qvod & convenire videtur *Ordin. Crim. Carol. V. Imp. art. 159. in verb.* Oder sonst nach gelegenheit der Person &c. & *art. 160. verb.* Mehr sol ermessen werden der Standt und das Wesen der Person/ so gestohlen hat/ rc. Huic tamen graviter obloqvi videtur *Imp. Constantin. in l. 1. C. ubi senator. vel clariss.* ubi dicit: *Omnem hujusmodi honorem reatus excludit.* Immò severiùs in delinqventes honestioris & dignioris ordinis detonant *Imppp. Gratian. Val. & Theodos. in l. judices 12. C. de dignit.* cujus elegantissima planè verba non pigebit hùc apponere. *Judices, qvi se furtis & sceleribus fuerint maculâsse convicti, ablatis codicillorum insignibus & honore exuti, inter pessimos qvosqve & plebejos habeantur, nec sibi post hâc de eô honore blandiantur, qvô se ipsos indignos judicavêrunt.* Ex qvibus colligere in proclivi est, non velle eos qvalitatem personarum attendi, cùm omnem talem honorem reatus excludat, & inter pessimos qvosqve ac plebejos haberi debeant ij, qvi dignitatis aliqvo gradu conspicui ejusmodi delictum patrare non erubuerunt. Verùm enim verò Alexandrino gladio opus haud fuerit ad hunc solvendum nodum, si ipsam Imppp. in jam allatis textibus mentem probè perpendas. Non n. ibi illis animus est certo crimini certam determinare poenam, id qvod ex ipsissimis illorum verbis manifestô patet; sed præcipiunt tantùm, ut honestiores & digniores ejusmodi delicto se cômaculantes, pro qvalitate facinoris, cingulô priventur, & dignitate omni exuantur: reservatâ tamen adhuc pœnâ LLbq præscriptâ, qvæ illis habitâ ratione ad eorum statum infligi debeat insuper. Ita namq; in *d. l. 1. C. ubi Sen. vel Clariss.* expressè additur, eos, qvi clarissimâ dignitate sint præditi, in aliqvô crimine deprehensos *publicis LLbus subjugari debere:*

C 3 qvo

qvò ipsò Imp. Constantin. qvin ad LLes ante se latas & in puniendis delictis suô etiam tempore observandas respexerit, dubio caret. Annon autem hoc pacto egregiè vis infertur Justitiæ commutativæ, qvæ pœnam commensurari vult delicto arithmeticâ proportione citra ullam προσωποληψίαν? Nullatenus. Immò tantum abest, ut eô ipsò lædatur SS. Justitia, ut potiùs strictissimè observetur. Cùm enim per pœnas læsio sive dolor aliqvis infligatur, personæ autem diversæ ac inæqvalis sint conditionis; ideoqve, si eâ in re, in qvâ est inæqvalitas inter personas, æqvaliter læderentur, aut dolore afficerentur diversæ conditionis personæ, pœnæ non rectè essent æstimatæ, sed inæqvaliter impositæ: sunt verba JCti absolutissimi, *Nobiliss. Dn. Struvii in Syntagm. Jur. Civ. Exercit.* I. *th. 32.* Pedibus in hanc sententiam eunt Impp. Honor. & Theodos. in *l. 2. C. ut intra cert. temp. qvæst. crim. term.* qvando in verbis ibi, *si persona vilior fuerit, cui damnum famæ non sit injuria*, innuunt, satis gravem esse pœnam honestiori, famæ & existimationis suæ jacturam, cui si adjungeretur pœna vilioribus præstituta, magis utiqve puniri eos, ac humilioris fortunæ alumnos, qvod tamen Justitiæ æqvalitatem in pœnis infligendis præcipienti è diametro adversatur. Lumen huic rei præter ea, qvæ attulimus, addunt *l. 1. l. 28. §. 16. l. 38. §. 2. D. de pœn. l. 4. §. 1. D. de incend. ruin. naufr. & c. l. fin. D. de injur. & fam. libell. l. ult. D. de sepulcr. viol. l. 3. §. 5. D. ad L. Cornel. de Sicar. l. 4. in fin. C. de Sum. Trin. l. 3. l. 5. l. 9. C. de pœn.* & innumeræ aliæ, qvibus recensendis hæc pagella non sufficit. Concludimus itaqve cum supra laudato summo Viro, Dn. Struvio, esse qvidem diversitatem pœnarum in diversis personis, si nudè & in abstracto ipsum illud, qvod sustinetur, spectes; sed esse eandem pœnam ratione æstimationis, in qvam in concreto venit consideratio conditionis hujus vel illius personæ. Neqve verò hic dicendum est, haberi aliqvem per-

sona-

sonarum respectum, ut alteri major, alteri v. minor infligatur; sed ut alia persona præ aliâ nec mitiori, nec severiori aut asperiori afficiatur pœnâ, sicq; cuilibet delinqventi imponatur æqvalis. Sanè qvod gravitati pœnæ vilioribus statutæ in plectendis honestioribus decedit, illud largo cum fœnore compensat infamia, qvæ istos ob crimen commissum comitatur, eaq; ex eo venit dimetienda, qvò in altiori peccans constitutus fuit dignitatis gradu. Hodiernis verò moribus in Praxi communi nobilitatis exigua videtur attendi ratio, adeò, ut, si crimen aliqvod capitale patratum forsan fuerit, judici inferiori non liceat mitiori pœnâ afficere nobiles, ac plebejos. Testatur hoc *Carpz. Pract. Crim. Part. 1. qvæst. 2. n. 8. qvæst. 9. n. 38. & 39*, (ubi graviùs eos plectendos esse statuit;) *qvæst. 38. n. 23. & seq. qvæst. 47. n. 90. Part. II. qvæst. 62. n. 1. & seqq. qvæst. 82. n. 61. & seqq. qvæst. 96. n. 12. & seqq.* & passim. Ad textus verò ex Jure Civili allatos, qvi pro Nobilibus & honestioribus mitiùs puniendis faciunt, ubiqve indifferenter respondet, eos procedere tantùm in pœnis arbitrariis & non uniformibus, qvæ scilicet judici sint distingvendæ ex personarum qvalitate; non verò in pœnis uniformibns & taxatis à Lege vel Statuto, in qvibus non sit habenda distinctio personarum. Qvanqvam eqvidem textus illi tantùm non omnes de certo crimine, cui pœnæ pro ratione personarum constituuntur, loqvantur, ut indè, de pœnis arbitrariis & nō taxatis à Lege, ei, qvi vel obiter easdem adspicit, exaudiendi esse non videantur: qvicqvid tamen sit, plerumqve Princeps, qvi potestate territoriali gaudet, attendere solet status delinqventium, & interpositâ illius autoritate ita mitius cum Nobilioribus agitur, ut famæ jactura meritò pœnæ annumeretur, & ideò eâdem pœnâ subulcus & Nobilitatis aut dignitatis alicujus majoris ornamento conspicuus puniendi nullò modò sint. In hôc v. casu, ubi Nobilis vel alia persona honestior

ſtior *CLAVE* Laconicâ furtum qvoddam commiſit, ſive id magnum, ſive parvum ſit, judicis arbitrio pœna eqvidem determinanda non præcisè relinqvitur; Magiſtratus ſuperior tamen omninò mitigare eam poteſt, ita, ut, ſi modicum fuerit, vel incarceratio, vel damnatio in opus publicum, **auf den Bau/** ſufficiat; vel, ſi magnum, ſupplicium laqvei in pœnâ gladii commutetur, *Carpz. in Pract. Crim. Part. II. qvæſt. 82. n. 63.* Licet deteſtanda ejusmodi Nobilitatis carcinomata, qvi tàm abjecti ſunt animi, ut fœdiſſimò hôc crimine ſe conſpurcare nulli vereantur, adeoq; ſe ipſos hócce privilegiô & honore ſuo ſupra modum indignos faciant, vix ullâ commiſeratione dignos eſſe judicârim. Qvâ verò pœnâ impuberes, minores, furioſi, mente capti, fœminæq;, & aliæ ſimiles miſerabiles perſonæ hoc in caſu ſint afficiendæ, cùm partim eadem, qvæ in aliis obtineat, partim verò hâc de re pleni ſint omnium Dd. libri, de induſtriâ ſicco, qvod dicunt, pede præterimus.

XV. Qvid autem dicendum, ſi furtum aliqvod fuerit commiſſum, idq; non modicum, ſed qvantitatem 5. ſolidorũ excedens, nec tamen læſio ulla ſeræ appareat, aut parietis, nec etiam ſcalæ inveniantur, qvibus admotis per feneſtram fortaſſean intrare potuiſſet fur; an illius furti reus veriſimiliter præſumetur ille, apud qvem CLAVES adulterinæ ſunt repertæ, adeoqve exindè ſufficiens orietur indicium ad qvæſtionẽ per tormenta, ſi aliter veritas patefieri neqveat? Sub vexillo affirmantium militat *Menochius lib. 5. præſumt.* 31. *n.* 17. ubi, ſe reſpondiſſe, dicit, aliqvando, præſumendum eſſe illum commiſiſſe furtum, apud qvem CLAVES Laconicæ ſive adulterinæ ad aperiendam domum & oſtium aptæ repertæ fuerint. *Bocerus* tamen in *Tract. de qvæſt. & tortur. cap. 3. n. 84. p. 226.* affirmativæ ſimpliciter, abſolutè ac indiſtinctè ſubſcribendũ eſſe non exiſtimat; ſed eatenus demùm, qvatenus ſuſpectus ille

ille ejus ſit conditionis homo, ut malè de ipſo etiam maximè qvoad furtum præſumatur: qvâ in re adſtipulantem habet Sanctionem Caroli V. Imp. *in art.* 43. *Ordin. Crim. vers.* Item: So der Diebſtahl mit ſondern Sperr-oder Brechzeuge geſchehen were/ ſo dann der Verdachte am ſelben Ende geweſen/ und mit ſolchen gefährlichen Sperr-oder Brechzeuge ümbgangen/ damit der Diebſtahl geſchehen/ und der verdachte eine ſolche Perſon iſt/ darzu man ſich der Miſſethat verſehen mag/ iſt peinliche Frage zu gebrauchen/ Omnia autem hæc reqviſita conjunctìm præcisè reqviri ad præſumendum furtum ac per cõſeqvens torqvendum eum, qvi talibus gravatus eſt indiciis, nullum eſt dubium, qvòd ſi enim unum eorum abfuerit, vix tuto judicem progredi ad torturam poſſe arbitramur. Contingere ſiqvidem ſæpenumerò poteſt, ut ille, qvi reverà delictum illud perpetravit, alterius integri & honeſti viri veſtimentis CLAVES ejusmodi clàm inſeruerit, aut per feneſtram inſtrumenta talia ſuſpecta conjecerit, ut proindè hoc ſolum indicium ad qvæſtionem habendam non ſufficiat, ſed etiam præter illud alia de eodem homine ut accedant, neceſſe ſit. *Job. Zanger. de qvæſt. c.* 2. *n.* 68. *&* 181. *Carpz. Pract. Crim. Part. III. qvæſt.* 122. *n.* 52. *& ſeqq.* Nec etiam infreqvens adeò eſt, unam CLAVEM duabus ſeris diverſarum domuum præter opinionem & intentionem domini eſſe aptam. Fit immò qvandoqve, ut paterfam. vel alius qviſpiam, cui res ſubtracta eſt, forſan CLAVES oſtiorum vel ciſtarum amiſerit, qvam inventam delinqvens ad flagitium ſuum uſurpare potuit; qvô caſu *Höping. de Jur. Sigill. c.* 14. *n.* 179. non contemnendum ſuggerit conſilium; qvando nempe CLAVIS amittatur, ut nova fieri curetur, ſed immutata, ne primæ CLAVIS aliqvis poſſit eſſe uſus. Hùc ſpectat, qvod *Beſoldus in Theſ. Pract. lit. S. voc.* Schlüſſel/ꝛc. annotat: Anno 1621. à magiſtratu Norimbergenſi Interdictum fuiſſe promulgatum, ne qvis CLAVI-

D UM

UM figurã ceræ imprimeret, Schlüssel in Wachs nicht nachzudrücken/ sæpè enim id fieri hodiè solet, ubi probè cauti sint fabri Clavicularii, necesse est, in discernendis personis, qvæ ad ejusmodi figuram ceræ impressam CLAVES sibi confici jubent.

XVI. Vidimus hactenùs pro virium temporisq; ratione, qvomodò LL. cõtra crimina abusu CLAVIUM commissa severè insurgant; nunc ordo nobis aurem vellicat, ut intimiora juris, qvod circa eas obtinet, paullò pleniùs perlustremus. In ipsô verò statim limine se sistit sacratissimus Justinianus, qvi §. 44. elegantissimi prorsus Institutionum suarum tituli, de *Rerum Divisione & acqvir. ear. dom.* digito qvasi nobis cõmonstrat, eas possessioni rerum non tantùm conservandæ, sed & transferendæ inservire: id qvod & clariùs & apertius liqvet *ex l. 74. D. de contrah. emt.* Sic enim Imperator *in d. §. 44. Si qvis merces in borreò depositas vendiderit, simul atqve CLAVES borrei tradiderit Emtori, transfert proprietatem mercium ad Emtorem.* & JCus Papinianus *in d. l. 74. CLAVIBUS traditis, ita mercium in borreis conditarum possessio tradita videtur, si CLAVES apud borrea traditæ sint, qvò factò confestim Emtor dominium & possessionem adipiscitur, etsi non aperuerit borrea; qvod si Venditoris merces non fuerunt, usucapio confestim incboabitur*

XVII. Nimirum inutiles ambages omnes removere & multiplicationem actuum coarctare nullo non tempore laboravit antiqvitas, cùm non solùm impediri ambagibus res in judicio, aut extra illud gerendas videret, sed & irreparabile tempus, qvod utilioribus gravioribusvè negotiis impendi poterat, nullô cum fructu ita sensim surripi. Ipsummet nostrum Imperatorem hujus rei multo studiosissimum fuisse ex pluribus rerum argumentis manifestum est; cujus testimonia anxiè conqvirere hâc vice non habemus necesse, cùm vel

ipsa

ipsa illius Instituta nobis suppeditent affatim. Videri hoc potest *ex* §.*6.J. qvib. mod. J. P.P. f.* ubi antiqvam Legis observationem, qvæ in emancipatione liberorum per imaginarias venditiones & intercedentes manumissiones fuit celebrata, & exindè propullulantes ambages explodit, & hoc in casu rectà ad competentes Judices ire jubet. Hujus furfuris est, qvod in *l.3. D. de donat. inter vir. & uxor.* habetur propter celeritatem conjungendarum actionum, unam actionem occultari. Nec aliam ob rationem fictionem brevis manus introductam fuisse qvisq; de facili intellexerit. Sanè in ipsâ rerum traditione, num major sit commoditas, si CLAVIBUS traditis apud eum locum, in qvô res tradenda est condita, fiat, numq; minus temporis reqviratur spatium, qvàm cùm singulæ partes, qvæ propter pondus qvandoqve ab unô, immò, si soli sint, prorsus loco moveri non possunt, de manu in manum tradi debent, omni dubio caret; ut meo qvidem judiciô reprehendendus neutiqvam veniat Poëta, qvi dixit;

Ire per ambages, cum sint compendia præstò,
Stultitiæ primum dixeris esse gradum.

Vulgatum est enim in ore omnium brocardicon: *Qvod potest fieri per pauca, non debet fieri per plura.*

XIIX. Indè est, qvòd duplex inveniatur in Jure nostro Traditio; Vera altera, qvæ in *l. 8. D. de peculio* naturalis datio appellatur, & in re mobili est de manu in manum translatio; in re soli, in possessionem inductio: altera ficta, qvæ commoditatis gratia fit vel brevi manu vel actu aliqvo corporis, aut notà qvâdam f. symbolo interveniente, qvod veram traditionem repræsentet; qvalis nostra est traditio CLAVIUM. Ipsa v. traditio ex mente *Cujac. Lib. 11. Obs. c. 19. Borcholtiiq; in Comment. ad Instit.* §. *40. J. de R. D.* nihil aliud est, qvàm datio possessionis, id qvod haud vanè colligunt ex *l. 28. D. de V. O.* ex qvâ per bonam conseqventiam infertur, traditionem nu-

D 2 de

dè & in se spectatam amplius nihil, ac possessionem in alterū rei traditæ transferre. Qvin tamen si justus titulus dominii translativus accedat stipatus reqvisitis necessariis, ipsum etiā ad accipientem per possessionem illam dominium transeat, indubitatæ veritatis est. Atq; id non minùs ficta operatur, & symbolica traditio, ac vera & naturalis, per *adduct.* §. *44. J. de R. D. & l. 74. de contrab. emt.* Fictio enim imitatur naturam, & tantum valet in casu ficto, qvantum veritas in casu verô. *Carpz. Part. II. Constit. 14. n. 10.*

XIX. Sed cùm nunqvàm nuda traditio sufficiat ad transferendum dominium, secundùm assertum Pauli in *l. 31. D. de A. R. D.* CLAVIBUS nudè traditis possessionem justam transire non arbitramur. Ergò alia ut accedant, necesse est, qvorum auxilió in tantum corroborari qveat ficta ista traditio. Reqviritur autem primò omnium, si talem possessionem, qvalem dominium concomitari solet, transferre debeat, ut tradens, vel is cujus nomine traditur, rerum ipsarum, qvæ per CLAVES denotantur, verus sit *dominus*. Colligitur hoc inter alia à Dd. ex ipsis Imp. verbis, in §. *40. J. de R. D. ibi: voluntatem domini. it: & à dominô tradita,* ut alios textus, qvi haud obscurè hoc evincunt, propter notorietatem rei, silentio involvam. Qvôvis n. certó est certiùs, neminem plus juris in alium transferre posse, qvàm ipse habet, per *text. famosiss. in l. 27. §. 1. D. de noxal. action. l. 54. l. 120. l. 160. §. 2. D. de R. J.* & traditio nihil amplius transferre debet vel potest ad eum, qvi accipit, qvàm est apud eum, qvi tradit, *l. 20. D. de A. R. D.* Nec etiam, si dominus sit, alienare sit prohibitus. Accidit n. aliqvando, ut qvi dominus rei est, alienare non possit, *pr. J. qvib. alien. lic. vel non.* Conseqvitur indè pupillum firmiter *CLAVES* ita tradere non posse, ut eò ipsó actu possessio ad dominium transferendum habilis, transeat; qvia nullum dominium transferre potest *l. 9. §. 2. D. de auctor. & consf. Tut. & Cur.*

& Cur. Idem juris eſt in furioſô, & huic ſimili, prodigô, cui bonis ſuis interdictum eſt, *l. 6. D. de V. O.* Qvòd ſi verò non dominus vel ipſe tradiderit, vel ſuô nomine tradi juſſerit, neqvaqvam tranſibit dominium, ſed, ſi à parte accipientis bona fides, hoc eſt, juſta ſtiterit ignorantia, confeſtim uſucapio inchoabitur *l. 74. in fin. D. de contrab. emt. vid. ſubtiliſsimus JCtus, Bacbovius in Comment. ad Inſt.* §. 31. *D. de R. D.* Qvid enim hoc nocebit parti innocenti, ſi tradens dolô malô in negotió ſuô fuerit verſatus, cùm ignorantia facti alieni omninò excûſare ſoleat. Nihil autem intereſt, utrum ipſe dominus tradat alicui, an voluntate ejus alius *l. 9. §. 4. D. de A. R. D.* §. *24. J. de R. D.* qvia qvod qvis per alium facit, ipſe feciſſe videtur, *c. 72. de R. J. in 6. l. 180. D. eod. l. 56. D. de ſolut. l. 5. §. 3. D. de adminiſtr. & peric. tut. l. 1. §. 12. D. de vi & vi armat.* Atqve ſic Procurator, cui libera univerſorum negotiorum adminiſtratio permiſſa eſt à domino, ſi ex his negotiis rem vendiderit & tradiderit, facit eam accipientis *d. §. 42. J. de R. D.* Eô ipsô n. qvando dominus generale mandatum Procuratori dat, in qvô libera illi bonorum univerſorum adminiſtratio permittitur, in ea, qvæ gerit, ita conſentit, ut nihil de illius rebus diſponere poſſit, ubi voluntas domini non adeſſe cenſeatur. Litem huic rei movet aliqvam *l. 63. D. de Procurat.* ubi habetur, *Procuratorem totorum bonorum, cui res adminiſtrandæ mandata ſunt, res domini neq; mobiles, neq; immobiles, neq; ſervos ſine ſpeciali domini mandatu alienare poſſe, niſi fructus, aut alias res, qvæ facilè corrumpuntur.* In qvâ ſopiendâ valdè laborant Dd. Diſtingvunt nonnulli inter Procuratorem *cum liberâ, & ſine liberâ:* hoc eſt, inter eum, cui mandatum generale eſt datum additis expreſſis verbis, cum liberâ adminiſtratione, & eum, cujus mandato verba hæc inſerta expreſsè non inveniuntur: ita, ut §. 42. *J. de R. D.* de qvâ impræſentiarum nobis ſermo eſt, de Procuratore univerſali *cum liberâ,*

râ,uti loqvuntur,intelligendus sit, *d. l.* verò 63. *D. de Procurat.* de Procuratore universali, simpliciter tali, *sine liberâ*, veniat accipienda. Verùm hanc ipsam distinctionem,ut commentitiam ac veteribus incognitam rejiciunt JCtorum plures, inter qvos eminet *Duaren. ad l. 1. §. per Procuratorem 20. D de A. vel A. P.* cui adjungit se *Donell.* imprimis v. *Dn. Vinnius* in eruditissimo suo *Comment. ad Inst.* §. *42. J. de R. D.* ubi hanc sententiam, qvâ distinctio sæpè dicta approbatur, latè non minùs, qvàm subtiliter impugnat, & rationes eandem defendentes refutat. Alii alia,qvæ ad conciliationem horum textuum facere videntur, in medium proferunt, qvæ hîc ordine enarrare nihil attinet,ne præter spem excrescant pagellæ. Utcunqve tamen sit,videtur textus in *l. 63. D. de Procurat.* loqvi de eo casu, ubi ipsa Domini utilitas, & qvandoq; necessitas id non exigit. Patet hoc ex verbis illius,qvæ fructus & alias res,qvæ facilè corrumpi possunt excipiunt; qvò per benignam juris interpretationem eæ qvoq; possunt referri, qvæ servando non tantùm damnum afferunt domino, sed & majus commodum excludunt. Procuratoris siqvidem officiũ in eô consistit, ut utilitatem & commodum domini sui promoveat,&iis,qvæ nocitura sunt,fideliter viam præcludat;immò hoc ipsum finem illius esse primarium, nulli dubitamus, qvò ea omnia, qvæ Procuratori agenda incumbunt, collimant: si igitur dominus finem hunc se per Procuratorem obtinere velle, per generale mandatum testetur; vi canonis non Philosophorum tantùm, sed ipsius adeò dictaminis rectæ rationis, media,inter qvæ meritò est alienatio,qvam necessitas vel utilitas imperat, ad illum finem ducentia velle haud dubiè censetur.Citra utilitatem v. & necessitatem Procuratorem è converso nihil omninò alienare posse, ulteriori non indiget probatione: cessante enim fine,cessat id,qvod propter finem Procuratori licet. Et hoc est, qvod Marcellus

in

in l. 12. D. de Cur. fur. docet, agnato non usqveqvaqve competere rerum furiosi alienationem; sed qvatenus negotiorum exigat administratio. idem enim in furioso finis, qvi est utilitas, militat. add. *l. ult. D. eod.* Et qvis, obsecro, *d.* §. *42. J. de R. D.* non sub eâ conditione intelligat, *si nimirum utilitas poscat domini?* facilè hoc subolet Bachovio *in d.* §. *1.* verba, *ex bis negotiis*, paullò altiùs perpendenti; tùm demùm validam esse alienationem, si conditio & ratio administrationis exegerit.

XX. Non sufficit a. tradentem, aut cujus nomine traditur verum esse dominum; qvinimmò ut de ejus voluntate cõstet, expresſè natura traditionis reqvirit. Innuit hoc Imperat. *in* §. *40. J. de R. D. Nihil*, inqviens, *tàm conveniens est naturali aeqvitati, qvàm voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi.* Ubi ἐμφατικῶς duplici vice, cùm per vocabulum, *voluntatem*, tùm per verbum, *volentis*, qvàm necessaria ea sit, explicat. Nec frustrà. Est n. suæ qvisq; rei moderator & arbiter per *l. 21. C. mandati.* & in omnibus rebus, qvæ dominium transferre debent, concurrat oportet affectus ex utrâq; parte contrahentium: nam sive ea venditio, sive donatio, sive conductio, sive qvælibet alia causa contrahendi fuit; nisi animus ùtriusq; consentit, perduci ad effectum in qvod inchoatur, non potest, uti loqvitur Javolenus JCtus in *l. 55. D. de O. & A.* nec enim cuiqvam jus suum detrahitur *l. 2. D. de his, qvi sui vel alien. jur.* & id, qvod nostrũ est, sine factô nostrô ad alium transferri neqvit *l. 11. D. de R. J.* Alioqvin si dominus vel nomine ejus alius tradit qvidem, nõ tamen eâ voluntate, ut illius rei, qvæ traditur, dominium transferat, sed tantùm ut commodet, vel locet, dominium nõ transfertur §. *2. & 3. J. qvib. mod. re contrah. oblig.* Illa v. voluntas libera esse debet, nec ab alterius pendere arbitrio. Ex qvô plenô alveo fluit, pupillos, prodigos, furiosos & similes, licet

cet traditione peractâ, dominium neqvaqvàm transferre in accipientem, qvippe qvorum voluntas sola efficax non est, sed à Tutorum vel Curatorum consensu dependet, qvorum autoritas, in omnibus iis, ex qvibus damnum illis aliqvod propullulare potest, necessariò reqviritur. §.2. J. *qvib. alien. lic. vel non. l. 9. D. de auctor. & cons. Tut. & Cur. pr.* J. *de Auctor. Tut.* licet acqvirendo sibi vel perstipulationem vel per acceptionē ejus, qvod ab altero traditur, conditionem suam meliorem facere, etiam sine Tutoris autoritate, pupillus possit. *d. l. 9. de Auct. & Consens. Tut. & Cur. & d. pr.* J. *de Auctor. Tut.* De marito dubitandum, qvi dominus rei dotalis esse perhibetur *l. 30. C. de jur. dot. l. 13. D. de fund. dot. l. 7. §. 3. D. de jur. dot.* Sed & hic prędiū dotale inæstimatum, qvale intelligit Dn. Vinn. ad pr. J. qvib. al. lic. vel non. cum Harpr. in §. 40. J. de R. D. alienare validè & tradere neqvit, cùm illius voluntas ex Legis arbitrio pendere videatur; vid. Harpr. & Vinn. dd. ll. d. pr. J. qvib. al. lic. vel non. t. t. D. & C. de fund. dot. Non autem solummodò plenâ ac liberâ voluntate gaudere, sed & nullô errore captus esse debet tradens. Consensui n. nihil tàm contrarium est, qvàm error *l. 15. D. de jurisdict.* errantisq; nulla voluntas *l. 8. C. de jur. & fact. ignor.* neq; consensus *l. 9. eod.* & nemo errans rem suam amittit *l. 35. D. de A. R. D.* cui vulgò opponitur *l. 49. D. mandat.* solutio tamen apud Pac. Ἐναντιωφ. *Cent. 4. qvæst. 93.* facilè invenitur. *Dn. Struv. Exercit. 41. th. 55.* Cùm v. à parte tradentis animus adsit atq; voluntas transferendi, non debet à parte alterius deficere voluntas atq; affectus acqvirendi, secundùm ante laudatam *l. 55. D. de O. & A.* cùm invito beneficium non detur *l. 69. D. de R. J.* vid. *Dn. Struv. d. l.* Exindè de facili seqvitur per traditionem nostram possessionem non tantùm naturalem, sed & civilem in accipientem transire, qvòd non tantùm animus adsit sibi habendi verùm & accedat corporalis apprehensio,

qvæ

qvæ acceptione CLAVIUM denotatur. Nec aliò modò, qvò in tradente, intereſt, num ipſe accipiat, num v. mandatu ejus alius, vel etiam is, qvi in illius poteſtate eſt, ipſo qvoqve nonnunqvam ignorante. *§.3.J.per qvas perſ. cuiq, acqvir.l.24. D. de A. vel A. P.* Tres namq; modi præcipui ſunt acqvirendæ poſſeſſionis. Vel animo & corpore noſtro, qvi modus videtur uſitatisſimus, & dicitur originem dediſſe dominio *l.1. §1. D. de A. vel A. P.* vel animo noſtrô & corpore alieno, qvod omnibus iis caſibus contingit, qvando alter juſſu, conſenſu vel ratihabitione noſtrâ poſſeſſionem rei alicujus apprehendit, ſive is ſit in poteſtate noſtrâ, ut eſt filiusfam. ſervus &c. ſive non, ut negotiorum geſtor, procurator, &c. vel animo & corpore alieno, qvod tamen verum eſt in cauſis ſingularibus qvibusdam. Ita domino acqviritur poſſeſſio ignoranti per ſervum Rom. patri per filium, qvât. talem; qvod & Jure Rô. verum eſt de liberô homine, qvi bonâ fide poſſidetur; item de Tutore & Curatore notum eſt, eos pupillis & minoribus, qvamvis ignorantibus atq; invitis acqvirere poſſeſſionem *l.1. §.20. D. de A. vel A. P. Nobiliſſ. atq, Excell. Dn. D. Werner-Theodorus Martini, Patronus noſter omni obſervantiæ cultu ætatem devenerandus in prælect. priv. ad tb. 19. Diſp. XX. Schnobel. ad Pandect.*

XXI. Voluntas a. domini rem ſuam in alium transferre volentis inanis erit atq; inefficax, niſi habili aliqvâ causâ ſive titulô nitatur. Qvæ duo ſubtiliter diſtingvit Bachovius in *Comment.* ad *Inſtit. §. 30. de R. D. n. 1. Cauſam* n. appellat eam, ex qvâ ortâ eſt occaſio traditionis; *titulum*, qvi tuetur poſſidentem, & juſtitiam poſſeſſionis oſtendit; nobis tamen impræſentiarum erunt Synonyma, pro qvibus & communiter uſurpâtur. Evinci hoc poteſt, ad traditionem ſcil. hanc reqviri inſuper cauſam juſtam titulumq;, ex *§. 40. J. de R. D. verſ. ſed ſi qvidem &c.* immò in ipſô noſtrô §. 44. qvi de fictâ agit traditio-

E ditio-

ditione, subindè Causæ alicujus sive tituli justi fit mentio, nec non in *l.* 31. *D. de A. R. D.* qvæ propter evidentiam suam præ cœteris omnibus ad probandam sententiam hanc sufficit, dicitur, nunqvam nudam traditionem transferre dominium; sed ita, si venditio, aut *alia justa causa* præcesserit, propter qvā traditio seqveretur. *Dn. Struv. Exercit. 41. th. 55. Facbin. lib. 2. Controv. 53. Schneidew. ad* §. 40. *J. de R. D. n.* 3. Et hactenus qvidem rectissimè; aliàs enim si justa causa non præcesserit, nec justa censebitur possessio, qvia nemo sine causâ rem suam in alium transferre intelligitur, *Bachov. d. l.* Talis titulus sive causa est emtio, donatio, dos, permutatio, solutio, legatum, mutuum & similes §. 42. *& seqq. J. de R. D. l. 1. & seqq. D. de Public. in rem act. l. 47.* §. *fin. D. de pecul. t. t. D. pro emtore. t. t. D. pro donato. t. t. D. pro legato. & t. t. D. pro dote.* Qvi verò possessionem & per illam dominium transfert, is transfert talem, qvalem ipsus habuit. *l. 20.* §. *1. D. de A. R. D.* itaq; si serva fuerit domus, in cujus possessionem alterum inducimus, cum servitutibus transferetur, & si contra ea liberá fuerit atq; immunis à servitutibus, libera transibit, siq; isti domui servitutes anteà fuerint debitæ, debebuntur & porrò. Qvod si tamen tradens domum servam liberam dixerit, ea qvidem serva manet, traditor verò tenebitur præstare id, qvod dixit *arg. d. l. 20.* §. 1. *D. de A. R. D.* Cœterùm *Treutl. Volum. 2. disput. select. 20. th. 4. arg. l. 20. D. de A. vel A. P.* affirmat parum referre, num causa sive titulus reverà præcesserit, an verò solummodò opinione tradentis. Indè nonnulli statuere haud dubitant, cùm de utriusq; tàm tradentis, qvàm accipientis voluntate & animo constet, qvod nempe hic sit, ut dominium transferatur, non opus esse causâ tradendi certâ; ad hoc enim causam tradendi tantùm reqviri, ut voluntas utriusqve innotescat & *Helfr. Ulric. Hunn. Var. Resol. lib. 2. tr. 1. qvæst. 38. in fin.* argumenti locô adducit id, qvod per errorem,

tan-

tanqvam debitum solvitur; etsi hîc vera causa non subsit, dominium tamen nihilominus transferri, qvia causa subesse putetur. De cœterô, si in corpus qvidam consenserint, in caussis autem dissenserint, non esse in efficacem traditionem docet *Julianus in l.36.D.de A. R. D.* Circa titulum, qvi in traditione reqviritur, etiam illud peculiare notandum venit, qvod in Contractu E.V. venditæ res & traditæ non aliter emtori acqvirantur, qvàm si is venditori pretium solverit, vel aliô modô ei satisfecerit, vel si is, qvi vendidit, fidem emtoris secutus fuerit §.41. J.*de R.D. l.19. D.de contrab.emt. l.5.§.18. D. de tribut. act. Dn. Struv. Exercit. 41.th.56. & Exercit. 23.th. 109. Treutl. Disp. sel. Vol. 2. Disp. 20. th. 4. lit. c. Vol. 1. Disp. 28.th. 6.* Cujus rationem reddit Dn. Struv. *cit. Exercit. 41.th.56.* qvòd venditor, fide de pretio non habitâ, tradens, nō aliter, qvàm sub conditione; si pretium fuerit solutum, dominium transtulisse censeatur. Sed in *l.34.in fin.pr. D. de A. vel A.P.* dicitur, eum non desinere possidere, qvi qvodammodò sub conditione à possessione recessit, & aliàs expediti juris est, sub cōditione rem traditam impedire dominii translationem, *Bachov. Com. ad Inst. §.30. de R.D.n.4.* Pretii enim conseqvendi causâ consensit tradens & vendidit, & rem tradidit; *Dn.Struv. cit. loc. Bachov. d. l. adverba: venditæ verò res*, cùm nemo suum jactare credatur; ideoq; ante conditionē ipsā, si solveris pecuniam, aut aliô modô mihi satisfeceris, impletam, dominus rei nuncupari nullô modô poteris, nisi forsan emtor, ut ante dictum, fidem tuam seqvi velit. Qvid autem consilii capiendum sit venditori, si pretio nondum solutô rem tradiderit emtori, facilè liqvet, eum nimirum rursus vindicare posse rem, qvia dominium apud illum remansit; aut si non tradiderit, qvasi pignus retinere, donec emtor pretium offerat *l. Julianus, 13. §. offerri 8. D. de act. emt. & facit l. 14. §. 1. in fin. D. de furtis.* De *Jure Saxon.* dominium rei venditæ immo-

E 2 bilis

bilis, licet traditæ, haud transfertur, nisi facta sit coram judice, cujus jurisdictioni res est supposita. Carpzov. in Ip. For. Part. II. Const. 39. def. 35. Durch Gerichtliche Aufflassung / daß nemlich das Gut von dem Verkäuffer gerichtlich aufgelassen / und dem Käuffer zugeschrieben wird / per text. qvos citat. *Treutl. in Vol. 2. Disp. 120. thes. 4. lit. c.* Landrecht / *lib. 1. art. 34.* Der Güter Aufflassung und Gaben sollen ümb mehrer Beständigkeit willen vor Gerichte geschehen / an Orten / da die Güter gelegen sind / *It.* die Aufflassung muß vor Gericht geschehen / sonst bleibt das Gut dessen / der es verkauffet hat / Weichbild *art. 20. & 60. in fin.* Putat qvidem *Dn. Struvius Exercit. 23. th. 109.* nisi aliud singulariter alicubi receptum sit, ad ipsam dominii translationem in emtionibus ipsô qvoqve Jure Saxonicô istam resignationem judicialem non esse necessariam, nisi in bonis emphyteuticis & censiticis; qvod etiam sentit *Georg.* Schultz *in Synops. Inst. de R. D. lit. Oo.* & refert alios hoc non de emtione, sed de donatione & pleniore dominii translatione velle intelligi; qvam sententiam fovere qvoqve perhibetur *Georg. Frantz. lib. 2. Resol. 12.* insuperq; addere omnes illos textus, qvi abdicationem judicialem reqvirunt, tantum in donatione bonorum avitorum, locum habere, propter suspicionem nempe fraudis & calliditatis, qvæ ut plurimùm in donatione ejusmodi occurrere solet: ab observantiâ tamẽ communi fori Saxonici, de qvâ tota fermè JCtorum Saxon. cohors fidem facit, recedendum non esse, monet *Carpz. decis. 127. n. 11.* & ex eô *Joh. Philippi in usu Pract. Inst. lib. 2. Eclog. 19. vid. Dn. Habn. in Obs. ad Wesemb. de contrab. emt. n. 11. p. mi. 1010.* Sed hæc obiter. Prout autem titulus comparatus fuerit, eodem modo CLAVIUM traditione transfert, nunc possessionem nunc usum, & huc optimè qvadrat distinctio, qvã affert *Cujacius lib. 9. obs. 33.* in *esse in possessione & esse possessorem*; sicut aliud est in servitute vel libertate esse, aliud liberum esse & ser-

servum: ita ut in possesfione esse incipiat per CLAVIUM traditionem depositarius, commodatarius, colonus, inqvilinus, is qvi precariò moratur, vel seqvester, cui partes custodiam tantùm, non possesfionem concesserunt, &c. Si verò CLAVES simpliciter sine præcedaneâ justa causâ vel possesfionis, vel usus fuerint traditæ, præsumuntur ex communi Dd. sententiâ traditæ custodiæ tantùm gratiâ; qvod affirm. *gl. in verba: custodiæ l. cum pater 77. §. pater pluribus 21. D. de Leg. II. Schneid. ad §. 44. J. de R. D.* Jacob. *Menoch. de præsumt. lib. 3. præsumt. 69. n. 3. Bachov. ad §. 32. J. de R. D.* Textum a. ante dictum de Leg. II. *Schneid. ad §. 5. J. de interdictis n.* 114. ad illud etiam trahit, qvod CLAVES rerum communium penes seniorẽ & digniorem ex familiâ deponi debeant. Ut & communia instrumenta penes seniorem deponi cavetur *l. fin. D. de fid. instrum. Höping. de Sig. c. 6. n. 28.*

XXII. Porrò Dd. ad validam traditionem reqvirunt vacuam rei traditæ possesfionem. Rem n. tradere, eôq; ipsô illius dominium in alterum transferre is verè censetur, qvi possesfionem illius vacuam & non occupatam, certam ac non litigiosam, perpetuam & non temporariam tradit, uti monet *Harprecht. arg. l. 2. §. 1. D. de act. emt. l. 8. C. eod.*, non n. videtur possesfionem adeptus is, qvi ita nactus est, ut eam retinere nõ posfit. *l. 22. D. de A. vel A. P. l. 4. §. 12. D. de usurp. & usucap. l. 12. C. de probat. l. 13. C. de distract. pign. vid. Wesemb. Paratitl. Dig. de contrah. emt. n. 13.* Ideò enim ad acqvisitionem & translationem Dominii necessaria est traditio, qvia ipsa ratio dictat, ut, qvod facto nostro acqviritur, prius potestati nostræ subjiciatur: at enim verò res potestati nostræ subjecta dici non potest, cujus plenam possesfionem, eamq; qvæ avelli non posfit, nacti non sumus *d. l. 22. D. de A. vel A. P.* neq; potest possesfio justa in nos transferri ejus rei, qvam alius posfidet, qvamdiu posfidet & vel animo retinet possesfionem, qvippe

E 3 duo

duo in solidum possidere eandem rem non possunt. *l.3.§.5. D.de A.vel A.P.* Dicitur autem vacua possessio (1) qvæ sit vacua à possessione impropriè sic dictâ, h.e. à nudâ & simplici detentione, qvalis in deposito, commodato contingit. (2) qvæ sit vacua à possessione vera, qvæ est cum animo Domini (3) à tali possessione, qvæ alio jure habetur, atq; officere potest illi, qvi rem accipit affectu sibi habendi. *l.2.§.1. D.de act.emti.* Prima non impedit traditionem rei, Dominiiq́, & possessionis translationem, qvia hæc duo, detinente licet altero, sunt penes verum Dominum, qvi ideoq; & tradere rem suam & tradendo jura sua transferre potest. Secunda & tertia obstare videntur: Præprimis in contractu Emtionis Venditionis. Venditor n. tenetur ut præstet habere licere *arg. l. 188. D. de V.S. l.30. §.1. D. de Act. emt.* ideoq; venditor tenetur sic tradere, ut res libera s. vacua sit ab istiusmodi possessionibus. *l.3. pr. & §.1. D. de act. empt.* & colligit *Dn. Habn. d. l. ex l. 13. C. de distr. pign.* in contr. E. V. adeò reqviri vacuæ possessionis traditionem, ut prætendens se rem emisse, negante altero, præter numerationem pretii, probare qvoq; teneatur in vacuam se missum esse possessionem. Hinc & *Ludw. in disp. 4. th. 10. lit. a.* affirmat reqviri vacuam possessionem tùm qvod traditio nihil aliud sit, qvàm possessionis translatio. *arg. l.3. D. de A. emt. Cuj. lib. 11. obs. 19.* tùm qvod possessione amissâ, nihil habeat Dominus, qvod tradere possit, *l. 26. D. de donat. inter vir. & uxor.* Non desunt tamen qvi & hâc in re in diversas abeunt partes, qvos unà cum rationibus suis longâ serie recenset *Helfr. Ulric. Hunn. Var. Resol. lib. 2. Tract. 1. qv. 39.* subjectis itidem affirmantium fundamentis; qvibus & sententiam suam stabilire & contrariā elidere contendunt. Qvæ omnia tædiosè hic repetere longum foret, mihiq; verendum, ne patientiâ Lectoris abutar, præsertim cùm forsan in conflictu de iisdem agendi datum iri confidamus occasionem.

XXIII.

XXIII. Dictis superaddunt Dd. ut per *d.l.74. D:de contrah. emt.* CLAVES apud eum locum tradantur, ubi merces sunt depositæ, inter alios autem *Dn. Vinn. ad* §. *44. I. de R.D. Schneidew. ad Inst.* §. 5. *de Interdictis & alii.* Et addit qvidem Vinnius eam rationem, qvòd & symbolica traditio talis esse debeat, ut per eam res potestati nostræ statim subjiciatur, qvod non fieret, si alibi Claves traderentur. Refert insuper *Schneidew. Barthol.* velle ita demum acqviri possessionem rerum in domo s. horreo existentium, si sciat is, qvi accipit, in qvâ parte domus res ipsæ positæ sint. *Imolam* tamen affirmare dicit, qvod sufficiat accipientem generaliter scire res esse in domo per *d.l.74. D. de contr. emt.* qvippe qvæ expressè aliud non reqvirat.

XXIV. His igitur reqvisitis & aliis concurrentibus, licet primariò possessionem tantùm transferat traditio Clavium, qvin tamen per ipsam Dominium in accipientem transeat, nemo dubitabit, qvæ vel attingere tantùm libuit, & principaliora recensere, cùm diu sit, qvod clarissimorum Virorum diligentia hæc omnia melius & accuratiùs exasciârit, qvàm imbecillitas ingenii & indoctus hic calamus noster qvicqvam vel addere vel interpretatione dilucidius reddere poterit, qvod cumprimis materiæ possessionis & Dominii subtilitas, qvæ infinitarum mater est controversiarum, plura afferre vetet, ne vilia dicendo, nihil aut parum digna attulisse videamur.

XXV. Eundem qvoq; traditio CLAVIUM sortitur effectum de Jure Saxon. in donatione Geradæ, nec inter minima ejusdem reqvisita venit numeranda. Qvid Gerada sit, qvæq; bona sub hôc nomina contineantur, qvomodo alienari, qvibus donari possit, constat præ cæteris fusius ex *Carpzov. Ipia For. Part. 2. Const. 14.* ubi totam Geradæ materiam latè pertractat. Illud tantùm ultimis, qvod dicitur, digitis in

præ-

præſens attingere allubeſcit, qvando & qvousq; CLAVIUM traditio in donatione Geradæ intervenire debeat. Qvod eqvidem vel ſole clariùs pateſcet illicò, ſi donationis Geradæ naturam per reqviſita neceſſaria expoſuerimus. Dividitur autem donatio Geradæ ex ipſis *Conſt. 14. part. 2. D. Elect. Aug.* verbis in *judicialem, & extrajudicialem: Judicialis* reqviſita *Carpz. d. l. def. 9.* nec non *Dn. Struve Exerc. 40. th. 6.* faciunt ſex. (1) ut *adſit autoritas judicis*, fiat ſcil. donatio in judicii loco, coram judice pro tribunali ſedente. d. *Conſt. D. Aug. verb.* vor Gerichte *&c.* & paullò poſt: *in loco judicii, judice pro tribunali ſedente &c.* [2) *Donatrix ſit præſens in ipſo donationis actu*; id qvod iterum innuunt verba D. *Conſt.* In ihren beyſeyn/ &c. (3) accedat *autoritas Curatoris*, verb: Durch ihren Kriegiſchen Vormund/ &c. cui addit Dn. *Struvius d. l.* nec nõ *Carpz. d. Conſt. def. 2.* ſi maritata ſit donatrix, ei adjungi debere conſenſum mariti. (4) *Tradantur* CLAVES, qvod expreſsè poſtulat Sereniſsimus Conſtituens; mit überantwortung der Schlüſſel &c. (5) *Donatario unà cum* CLAVIBUS *exhibeatur deſignatio rerum Geradicarum in donationem venientium.* verb: Dem Donatario ein Verzeichniß/ &c. (6) Ultimum reqviſitum conſtituit *inſinuatio apud acta*, ut nimirum donatio iſta Geradæ publico inſeratur libro: verb. Welche hernach dem Gerichts-Buch einzuverleiben/ &c. *Extrajudicialis* donatio Geradæ propria itidem reqviſita agnoſcit, qvæ & ex Sereniſſ. Elect. Conſt. peti poſſunt. Sunt autem ea potisſimùm 4. Primum eſt, ut ſpecies Geradæ donatæ *valorem 500. aureorum Hungaricorum non excedant.* Teſtantur verba *D. Conſt.* und die Stücke über fünf hundert Gülden nicht thäten austragen/ &c. Secundum eſt, *ut fiat in præſentiâ duorum vel trium teſtium, vel coram Notario & teſtibus*; præcipiunt hoc verb: So könne er in beyſeyn zweyer oder dreyer Zeugen/ oder aber auch vor Notarien und Zeugen geſchehen/ &c. Ter-

&c. Tertium, ut *accedat* CLAVIUM *traditio*, jedoch so müssen die Schlüssel/ &c. Qvartum, ut *præsentes sint cistæ & capsæ, qvibus res Geradicæ sunt inclusæ*; In gegenwart der Kasten und Truhen/darinnen solche Stücke verwahret/&c. *vid. Carpz. d. l. def. 15. ut & Andr. Goldbeck. Tr. de Geradâ, cap. 7. membr. 2.* ubi latiùs in materiam Geradæ inqvirit. Ex his igitur reqvisitis clarescit oppidò, qvod Traditio CLAVIUM tàm *injudiciali*, qvàm *extrajudiciali* Geradæ donatione sit necessaria; siqvidem ipsa Serenissimi Elect. Constit. evidenter de eadem disponat. Nec immeritò. Necessarium enim qvùm sit, ut res Geradicæ tradantur, non autem commodum adeò esse videatur, singulas partes de manu in manum tradere, exemplo § sæpius *cit. 44. l. de R. D & l. CLAVIBUS 74. D. de contrab. emt.* nec non *l. pen. D. de A. vel A. P.* licet arcæ & res in iisdem contentæ realiter non tradantur, traditionem tamen validam esse voluit eam, qvæ communiter *ficta* dicitur; tantum enim operatur *fictio in casu ficto, qvantum veritas in casu verô;* uti supra fuit monitum. Sed qvia, qvod §. 23. diximus, secundùm dispositionem *d. l. 74. D. de contrab. emt.* in fictâ ejusmodi traditione jura velint in *conspectu domus* vel horrei rerumq; aliarum transferendarum CLAVES offerri, qvod in locô judicii, capsis & cistis haut præsentibus, commodè fieri neqvit, aliam in hujus locum substituit solennitatem D. Elector, ut nimirum unà cum CLAVIBUS designatio s. specificatio rerum sub nomine Geradæ contentarum offeratur. *Carpz. Disput. de Donat. Gerad. cap. 3. th. 32.*

XXVI. Hic verò utilis non minus, qvàm anceps oritur controversia: Si in donatione *extrajudiciali* CLAVES tradantur adjunctâ rerum Geradicarum *specificatione*, rebus ipsis tamen in cistis *haud præsentibus*, num eo casu efficax sit extrajudicialis Geradæ donatio? Dubium haud leve movet d. Const. Elect. in qvâ specialiter invenimus receptum,

F desi-

designationem, uti jam dictum est, specierum donatarum unà cum CLAVIBUS exhibitam supplere defectum realis præsentiæ in *judiciali* Geradæ donatione. Verùm enim verò ex asse huic rei satisfecisse videtur Carpzov. in antè laudatâ *Disp. de donat. Gerad. th. 28.* qvando respondet aliter esse comparatum in donatione, qvæ fit *extra judicium*, ad qvam præcisè reqvirat Sereniss. Constituens præsentiam rerum, qvod ibi cesset causa illius specialitatis, in judicio observari solitæ, *parum commodè nimirum cistas cum rebus ad Geradam spectantibus in locum judicii transportari posse.* Non minimam igitur solennitatis in donatione *extrajudiciali* hoc reqvisitum, *ut præsentibus cistis, qvibus bona illa Geradica asservantur,* CLAVES offerantur; constituere partem dicit, à qvâ neutiqvam sit recedendum salvo illius donationis actu, qvi formâ neglectâ penitus invalidatur *arg. l. 8. §. 17. D. de transact.* imprimis qvod in d. Const. accedat vocula müssen/ qvæ necessitatem qvandam haud dubiè importat. Qvid si autem donatio fiat in præsentiâ cistarum & tradantur CLAVES, anne & tunc insuper designatione fuerit opus? Cumq; eô casu itidem cesset ratio, ob qvam hæc designatio specialiter recepta est, plurimi Dd. non arbitrantur eâ omissâ infirmari actum donationis, præprimis cum sit adjunctum fictæ traditionis, qvę non attenditur, ubi veritas locū habere potest. vid. de hâc controversiâ plura apud *Carpz. part. 2. const. 14. def. 14.* & *Andr. Goldbeck. de Jure Geradæ. c. 7. membr. 3. num. 150. & seqq.* Num autem CLAVIUM qvoqve traditione opus fuerit, qvando res Geradicæ verè ac realiter traduntur, haud immeritò qværunt Dd. Ex verbis eqvidem Const. primô aspectu id videretur affirmandum. Sic n. loqvitur: Jedoch so müssen die Schlüssel alsdenn in gegenwart der Kasten und Truhen/ darinnen solche Stücke verwahret/ dem Donatorio auch d. benemben die donirten Stücke zugestellet und übergeben werden.

Ex.

Ex qvibus manifestum est, eam ad efficacem donationis Geradæ extra judicialis actum non tantùm reqvirere traditionem CLAVIUM, sed & earum rerum, qvæ donantur: adsunt n. verba *copulativa* Auch darneben qvæ utrumq; desiderari innuunt *arg. l. 5. D. de condit. instit. l. 129. D. de V. O. §. pen. I. de hæredib. instit.* & qvorum vis & natura est, augere, ampliare seu adjicere ad præcedentia ut loqvitur *Goldbeck. d. l. n. 84.* At cùm rebus geradicis ipsis oblatis atq; traditis realis traditio perficiatur, casu hoc traditionem CLAVIUM necessariam adeò haud esse existimant JCti maximi. Ubi n. res reverà agitur, ibi fictione non est opus, cùm cesset fictio ubi veritas locum habere potest *arg. l. 17. §. 2. D. de adopt. & emancip.* & qvādo fictio & veritas concurrunt; præferatur veritas. *l. 23. D. de lib. & posth. l. 8. D. cástr. pecul. l. 76. D. de condit. & demonstr. l. 4. D. de manum. vindict.* Nec è converso opus erit, traditis CLAVIBUS ipsas m. res realiter tradi, cùm ex porrectione CLAVIUM oriatur ficta traditio, qvæ habet effectum veræ traditionis, uti constat; tantum qvoqve, ut sæpiùs diximus operetur fictio in casu ficto, qvantum veritas in casu verò. *vid. Goldbeck cit. l. n. 87.* Igitur *Carpz. in Ipia For. part. 2. Const. 14. defin. 16.* alterutrum sufficere ait, nec utrumq; simul esse necessarium, licet utrôq; omissò Geradæ donatio invalidetur. Idq; eò magis qvod in *d. Const. 14.* dicatur: Der Donatarius ihr die donirten Stücke / oder die Schlüssel darzu wiederzustelle. Undè haud dubiè probari putat, si Donatrix usumfructum Geradæ sibi reservare velit, de qvò casu d. locus loqvitur, posse id fieri, si post traditionem Donatarius vel res donatas Geradicas, vel CLAVES cistarum easdem continentium restituat donatrici. Qvod si ergò ad perfectam Geradæ donationem copulativè reqvireretur & CLAVIUM & rerum donatarum traditio, utiqve in usufructu reservando utrarumq; restitutionem m. fore necessariam. Nihil enim profutu-

F 2

futuram restitutionem CLAVIUM rebus donatis penes Donatarium interea manentibus. Atq; ideò *Andr. Goldbeck. d.l.* ita sentit; si in donatione Geradæ CLAVES tantùm traditæ fuerint sine rebus, etiam solas CLAVES, si res duntaxat, res solummodò esse restituendas: qvòd si verò unà cum rebus CLAVES fuerint traditæ ab initiò, etiam ut utræq; restituantur futurum necesse. Qvî autem locutioni Constit. satisfiet, qvæ vult ut verificetur copulativa enunciatio. Respondet facilè *Andr. Goldbeck, d.l.n.93.* & *Carpz. d. l.* copulativam non semper & ubiq; conjungere, d. interdum pati ut ponatur pro disjunctivâ & contra pro ratione materiarum. Sic in *l. pen. C. de V. S.* disjunctiva *aut* pro copulativâ *&* accipitur contrà verò in *l. 53. D. eod.* dicitur, sæpè conjuncta pro disjunctis haberi & accipi. Videri potest hanc in rem *Everhard. in loc. à nat. cop. num. 11.* qvem citat *Andr. Goldbeck. cit. l. num. 94.* & *Carpzov. d. l.* Sed hæc omnia, qvæ de Geradâ hactenus dicta sunt, pro ratione consvetudinis in diversis locis receptæ variant. Immò & in qvibusdam planè cessant, uti videre est in Ducatu Lüneburgico, it. Gvelferbitano & Calenbergico, ubi qvod testatur *Habn. in Obs. ad Wesemb. de don. inter vir & uxor. n. 4. p. m. 256. & seq.* Gerada penitus est sublata, per Constitutiones, qvas refert ibi Hahnius.

XXVII. Diximus suprà §. 21. pro ratione tituli CLAVIUM traditionem nunc possesionem nunc usum tantùm transferre; qvid ergò in contractu Locati Conducti per eandem transeat facilè liqvet. Nolumus hic distinctionem illam *Cujacii*, cujus in d. §. à nobis jam facta est mentio, inter *possidere*, & *esse in possessione* cum nauseâ repetere, qvod inqvilinus, commodatarius, colonus, in possesione qvidem sint, non verò possideant. Illud tantùm sufficiat impræsentiarum, in Contractu Locati Conducti per CLAVIUM traditionem ad inqvilinum nihil præter usum transire. Est enim hæc natura

tura hujus Contractus, ut certâ mercede constitutâ utendæ res vel operæ dentur. Hinc cùm ex eorum numero sit, *in qvibus utriusq; contrahentis utilitas versatur*, præstatur in eô solummodò dolus & culpa levis *l.5.§.2.D.commodati.* Et licet in *§.5.l.de Loc.Conduct.* dicatur, ab eô, qvi pro usu aut vestimentorum, aut argenti, aut jumenti mercedem aut dederit, aut promiserit, talem custodiam desiderari, qvalem *diligentissimus* pater familias suis rebus adhibet; putat tamen rectè *Dn. Vinnius* hic poni Superlativum pro Positivo, ut & in *l.25.§. pen.D.locat.conduct.*

XXVIII. Sed est exceptio aliqva in *nautis*, *cauponibus* & *stabulariis*, qvi in navem, cauponam, stabulum vectores, viatoresq; recipientes & *levissimam* qvoq; culpam præstare tenentur, & exactam rerum receptarum custodiam. Qvanqvàm enim mercedem non ideò accipiant, ut res custodiant, d. ut vel vectores trajiciant, vel in cauponâ viatores manere patiantur & permittant jumenta apud se stabulari; tamen ex Edicto Prætoris, ad custodiam qvoqve omnium rerum, qvas receperunt, obligantur, adeò, ut ea, qvæ receperunt, vel restituant, l. amissorum valorem præstent *l.1.pr.l.3.§ 1. & t.t.D.naut.caup. & stabul.* Neq; verò id injustum esse probat JCtus Cajus in *l.5. D.eod.* exemplo fullonis & sarcinatoris, qvi non pro custodiâ d. pro arte mercedem accipiunt, & tamen custodiæ nomine ex locato tenentur. Hujus autem Edicti maxima est utilitas, tùm ut occurratur fraudibus ex eâ fœce hominum, qvas cum furibus, adversus eos, qvos recipiunt, solent struere *l.1.pr.eod.* tùm ut succurratur viatoribus, qvibus necesse est fidem hospitum seqvi & res custodiæ eorum committere. *eod.* vid. *Wesemb. hic n.3.* Accedit, qvod ipsô factô, qvô res recipit, videatur profiteri caupo, nauta vel stabularius, navem, cauponem, vel stabulum idonea esse, qvibus res tutò credatur. *Wesemb. hic n.5. Zoës. hic n.2. Carpz. Jp. For. Part. 2. Const. 26. defin. 10. n. 7.* Ideoq; non tantùm de custodiâ

rerum receptarum tenentur, d. & facta nautarum, servorumq;, immò & vectorum præstare debent & ex rationis similitudine eorum, qvi unà in suâ cauponâ divertunt, *l.1.§.fin. D.eod.* Si verò prædixerint, ut unusqvisq; hospitum aut vectorum res suas servet, neq; se velle præstare damnum, & vectores vel hospites consenserint prædictioni (nec verò opus est expresso consensu, d. sufficit tacitus *Struv.Exerc.8.th.117.*) non tenebuntur. *l.fin.pr.D.eod.* Eâdem ratione, si qvis viatorum vel vectorum rem suam inscio caupone s. nautâ l. stabulario, mediastino s. filiofam. custodiendam dederit, caupo vel nauta aut stabularius, de damno, si amissa fuerit, conveniri neqvit; hospes enim hôc ipsô à jure suo ex Prætoris Edicto sibi competente recessit, atq; ideò favori pro se introducto tacitè renuncians solum filiumfam. vel servum de peculio convenire poterit.

XXIX. Qvid si a caupo hospiti vel viatori apud se divertenti CLAVES scrinii vel cubiculi, in qvo res suas recondit, vel ipse commoratur, tradat, annè rerum illatarum periculũ hôc pactô amolietur caupo? Negant id Dd. communiter. Wissembachius eqvidem *Disp. ad Pandect.15.th.25.* hanc qvæstionem magis facti, qvàm juris esse arbitratur, atq; ideò ex conjecturis dijudicandam. Respondet tamen *gl. in l. fin. §. 1. D. d. t.* solam traditionem CLAVIUM non habere tantam vim tacitã, ut aliqvis liber exindè reddatur à culpâ, qvia si hoc foret, daretur cauponibus materia delinqvendi, qvod facilè sit habere duplicem CLAVEM, aut alias adulterinas, sicq; nihil esset tuti ab ejusmodi hominibus de qvibus lex parùm boni præsumit *l.1. D. d.t.* vid. *Johann. Sichard. in Cod. l. 1. & 4. de Locat. Conduct. n. 9. Petr. Ostermann. Rational. ad Instit. §. 45. de R. D. Struv. Exercit. 8. th.117.* qvibus hanc negandi rationem addit Wissembachius, qvod CLAVES alio animo traditæ esse possint atqve acceptæ; liberioris nempe usus cubicu-

bicu-

biculi gratiâ, non periculi suscipiendi consilio. *d. l.* Ne igitur in totum frustranea sit hôc casu CLAVIUM traditio, ait *Sichardius d. l.* sicut in Contractu E. V. non operatur custodiam, sed mercium venditarum translationem; ita qq. locô hôc eam illud operari ut conductor s. viator possit secreto ingredi & egredi, merces secreto inferre & anferre, condere & promere, ne invitentur fures. Affirmat tamen ibidem, si CLAVIUM traditioni jungeretur prædictio s. protestatio, tùm liberum cauponem fieri à præstatione custodiæ, non qvia *CLAVES* sint traditæ d. qvia sit prædictio facta conductori s. viatori: idqve extendit eò, horrearium etiam tradentem *CLAVEM* horrei conductori, sine prædictione, liberari à culpâ levissimâ; cujus rei fundamentum ponit in *gl. in d. l. fin.* §. 1. *D. naut. caup. & stab.* qvod inibi dicatur propter traditionem *CLAVIUM* horrearium mitius teneri. Hinc infert prædictionem s. protestationem à caupone s. horreariô factam sufficere ut liberetur ab omni custodiâ, per *d. l. fin. D. naut. caup. & stabul.* & qvamvis Ulpian. ibi videretur innuere, hoc esse verum, si conductor s. viator consenserit, *gloss.* tamen *ibid.* subintelligere dictionem *Maximè*, id est, qvod maximè non teneatur caupo vel horrearius, si prędictioni consenserit conductor, licet si nō consentiret, adhuc propter protestationē non teneretur horrearius vel caupo. Barthol. tamen & Dd. cōmuniter refert distingvere, inter prædictionem *anteà* & *post* interpositam. Vel n. cauponem s. horrearium *in principio* fuisse protestatum, se non velle teneri, & ibi conductoris seu viatoris consensum non præcisè reqviri, qvod sibi habeat imputare, qvi non aliter sibi consulere voluerit; vel *postqvàm jamtùm viator vel conductor per aliqvod temporis spatium fuerit ibi commoratus*, & tum prædictionem nihil operari sine consensu conductoris. Qvamvis n. vulgatum sit, protestationem conservare alicui jus, procedere tamen hoc in jure non qvæ-

qvæſito, ſed qværendo: hóc enim modô ſibi neminem qvicqvam præjudicare *arg. l. 8. §. 15. D. qvib. mod. pign. vel hypothec. ſolvit.* Jam dictis calculum ſuum adjicit *Joh. Schneidew. Comment. ad Inſt. de Obl. qvæ. qvaſi ex del. naſc. n. 4. p. m. 124.* qvando ex gl. ibi cit. diſtingvit, an *CLAVES* traditæ ſint *ab initiò* cum prædictione, ubi tunc valere, ait, proteſtationem & à cuſtodiâ liberare; (ſine prædictione v. traditas præſumi commoditatis gratiâ) aut *poſteà*, & ibi nihil operari prædictionẽ, ut maximè fuerit interpoſita, colligit hoc inſuper ex *l. 5. C. de O. & A.* Sicut autem traditio *CLAVIUM* cum prædictione facta liberat à cuſtodiâ, aut vi *gl.* tantum operatur, ut mitius poſtea agatur cum horreario vel caupone, ita ex adverſo tacitè in ſe ſuſcipi cuſtodiam ipſo facto, tradit *d. l. Sichardus*, ſi qvis recipiat *CLAVES* ad eam Cameram vel horreum, qvod locavit inſtar cauponis, nautæ & ſtabularii, & in qvo conductor vel viator res qvasdam reliqvit, qvamvis nihil expreſsè dicatur. In cujus rei exemplum adducit mercatores, Francofordiâ recedentes reddere *CLAVES* dominis horreorum, per qvod factum tacitè cuſtodia videatur demandata.

XXX. His ita pro ingenioli modulo expoſitis, non videtur ſilentio prætereundum, qvod paſſim legimus, fuiſſe olim moris, novis nuptis CLAVEM tradere atq; donare. Qvæ qvidem à marito ſi fieret traditio, ſignificabat, omnium rerũ domeſticarum curam totamq; & domus reiq; familiaris adminiſtrationem ac diſpenſationem Sponſæ permitti; *Cypræus de Sponſalib. cap. 5. §. 14. p. m. 135.* Traxit id qq. originem, à traditione CLAVIUM translationem rerum in alterius poſſeſſionem denotante. Patet v. ex *Joh. Henr. Urſin. l. 5. c. 34. tit. CLAVES Regni Cœlorum, p. m. 294. Analect. Sacr.* duplices CLAVES à diverſis fuiſſe traditas: vel à marito, ut inſigne collatæ adminiſtrationis totius familiæ; vel ab extraneo, qvod ſecundùm explicationem *Pompeji Feſti* partus ſignificaret

faci-

cilitatem. Qvam in rem dictus autor *Artemidori*, qvem vanitatis qvidem magistrum, reconditæ tamen eruditionis promum salutat, locum allegat, *de Somn. Interpret. lib.3. cap.54.* ubi ita loqvitur: CLAVIS *per somnium conspecta ei, qvi uxorem ducere proposuit, fidelem eam ac domûs custodem fore significat; qvi v. curare & dispensare res alienas volunt, bis fidei & auctoritatis significativa est.* Sicut a. CLAVIBUS traditis, ipsa qq. rerum domesticarum cura uxori tradita fuit; ita vicissim repudiatis CLAVES fuerunt ademtæ, qvod refert *Ursin. ex Dempster. ad Rosin. Antiq. lib.5. cap.38.* & probat *Salmuth. in Not. ad Panciroll. lib. rerum memorabil. de Nupt. sub fin. p.692.* Itemq; si ipsæ divortium facerent, ab iisdem depositæ. Testimonium hujus rei haud vanum petit ex *Cicer. Philipp. 2.* qvando; *Ille*, ait, *suas res sibi habere jussit, CLAVES ademit, forasq; exegit.* & *Ambros. epist. 65. Mulier offensa CLAVES remisit, domum revertit.* Rationem hujus solennitatis *Conradus Rittersh. in Nov. c. 8. p. 227. ex l. 35. D. de R. J.* depromit qvod qvibus modis unumqvodq; contractum sit, iisdem in contrarium actis solvi debeat.

XXXI. Magis est, ut dicamus de CLAVIBUS AUREIS, qvas Regum Camerariis collatas commemorat *d. Ursin. in Anal. Sac. lib.1. cap.15. de CLAVIBUS aureis.* Et cum eo non pauci alii; tanqvam insigne tàm dignitatis, qvod aurum significabat, qvàm potestatis, qvâ conclavia Dominorum intrare non prohibebantur. Nec dubitat affirmare Oeconomis Regum apud Judæos olim CLAVIM fortè auream tradi consvevisse, & *Isaac. Casaubon. Exercit.16. ad Annal. Eccles. Baron. p. m. 647.* Sobnam fuisse magistrum palatii, cujus insigne fuerit CLAVIS, docet ex *Isaiæ c. 22.* Qvicqvid tamen sit, hodiè per CLAVEM auream Camerariorum dignitatem atq; officium indicari constat; qvod magni olim fuisse habitum in Imperio, testatur insignis Philologorum antesignanus *Caspar Barthius*

G ad-

adverſar. tom. 1. *lib.* 45. qvippe Camerarii principem ſtiparent proximi, & qvodammodò Cameram ejusdem gubernarent. Nominatur à *Camerâ*, qvæ olim uſitatius cubiculum dicta fuit. Undè *Limmæus de J. P. lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 2. Imperatores Romanós antiqvos habuiſſe Præpoſitos ſacri Cubiculi,& inter hos primicerium, id eſt, qvi primum locũ gradumq; inter reliqvos obtineret Cubicularios teſtatur. De his ſacri Cubiculi Præpoſitis peculiaris conceptus eſt in *Codice* noſtro *Juſtinianéo* titulus in cujus *l.* 1. *Impp. Honor. & Theodoſ.* ita loqvuntur: *Sacri cubiculi Præpoſiti eâ dignitate fungantur, qvâ ſunt præditi, qvi eminentiſſimam prætorianam vel urbanam meruerint præfecturam, aut certè militarem magiſteriam poteſtatem: ita, ut ſit inter eos, poſt depoſitas adminiſtrationes nulla diſcretio, ſive noſtræ Serenitatis adoraturi admittantur imperium, ſive pro ſuò arbitrio ſolennes feſtivitates & cœtus, vel ſalutationes, vel alia qvælibet officia freqventent &c:* Præpoſitorum ſacri Cubiculi privilegia alia, ut, qvod eorum poſſesſiones immunes eſſe debeant ab angariis & parangariis, nec non paraveredis, domusq; illorum in qvâlibet civitate poſitæ liberæ ab omni hoſpitum inqvietudine, cujuslibet dignitatis illi fuerint, coram Comite & magiſtro officiorum tantùm, nõ alibi conveniri posſint, iisq; liceat, extra aulam in itinere cingulo uti, &c. videri poteſt *t. t. C. de præpoſ. ſacr. cubic. & omnibus Cubicul. & privileg. eor.* Cæterùm *Limnæus loco jam citato.* refert, qvod *Favyn lib.* 2. *des officiers de la Couronne de France, chap.* 8. *p.* 124. Camerarii munus ſub ſecundâ Regum Galliæ familiâ ita deſcribat: *La Charge du Chambellan eſtoit, de faire tenir le Palais tousjours net & proprement tapisé, les habillements du Roy bien nets, & bien ployez, ſon lict bien fait (au pied duqvel le Chambellan eſt tenu de coucher, au cas, qve la Royne n'y ſoit) & ſon linge bien blanc. A qvoy il falloit qve la Royne priſt garde, comme devant pardeſſus tous les autres, a-*

voir

voir soin de la personne du Roy, son mary, duquel elle a l'honneur d'approcher le plus pres, que toute autre personne; joinct que naturellement les femmes sont plus propres d'avoir l'oeil au mesnage, que les hommes. Dessous la Royne le Chambellan avoit le soin de tout, & tous deux ensemble avoient leur Argentier ou Tresorier, pour donner recompense aux Gentilshommes & Valets de Chambre, & aux Soldats de la pore du Roy. Il avoit aussi la disposition, & pouvoit ordonner des deniers destinés pour les presents extraordinaires, que l'on faisoit aux Ambassadeurs des Princes estrangers; si ce n'estoit Present de si grand prix, que le Roy commandast au Chambellan d'en communicquer à la Royne &c. Quod Latinis expresſit *Limnaeus. Addit. Tom. 1. ad h. l. p. 364.* Supremi in Rom. Imperio Camerarii ſplendore coruſcat Potentiſs. Elector Brandenburgicus, Sacr. Rom. Imp. ArchiCamerarius, des Heil. Röm. Reichs ErtzCämmerer *A. B. cap 27. §. 3.* qvem & *Cubiculi Custodem*, & *Fisci Praefectum* appellat *Besoldus in Thes. Practic. verb.* Churfürsten/ illiusqve inſigne olim Claves fuiſſe teſtatur. Nunc v. *Sceptrum* eſt, argumentum Gubernationis, qvod Imperatori noviter electo in ipſo Coronationis actu præfert. *A. B. 22.* & conſiſtit à latere ſiniſtro Potentiſſimi Elect. Saxon. Patris Patriæ noſtri Clementiſſimi. *A. B. d. l.* Habet ſextum votum in Electione Imperatoris *A. B. c. 4. §. 3.* In ſolemni Curiâ aqvam abluendis manibus Imperatori vel Regi Rom. porrigit *c. 27. §. 3.* Illius SubOfficiarius, ſive Vicarius, ErbCämmerer/ olim fuit Comes de Falckenſtein, *d. c. 27. §. 6.* nunc Comes de Hohen Zollern/ *Besold. d. l. & vocab.* ErbAemter *ac & Speidel. Nomb. eod.* cui eqvus & pelvis & mappa poſt ceremonias peractas jure cedit *A. B. c. 27. n. 6. Limn. lib. 2. cap. 5. n. 10. Job. Theodor. Sprenger. in Ipia publ. p. m. 160.* Num v. Electore Brandenburgico abſente ipſius Legatus, an verò SubCamerarius, Comes de Hohenzollern / hoc officium expedire debeat, cùm res jamtùm pro Vicario ſ. SubOfficiario ſit deciſa, temporis & chartæ lucrifaciendæ gratiâ meritò tacemus, ſimul remittentes Benevolum Lectorem ad ſæpè cit. *Besoldi Thes. Pract. vocab.* ErbAemter/ nec non *Speid. Nomb. eod.* ubi & porrò ſatis luculenter evincitur,

G 2

designationem, uti jam dictum est, specierum donatarum unà cum CLAVIBUS exhibitam supplere defectum realis præsentiæ in *judiciali* Geradæ donatione. Verùm enim verò ex asse huic rei satisfecisse videtur Carpzov. in antè laudatâ *Disp. de donat. Gerad. th. 28.* qvando respondet aliter esse comparatum in donatione, qvæ fit *extra judicium*, ad qvam præcisè reqvirat Sereniss. Constituens præsentiam rerum; qvod ibi cesset causa illius specialitatis, in judicio observari solitæ, *parum commodè nimirum cistas cum rebus ad Geradam spectantibus in locum judicii transportari posse.* Non minimam igitur solennitatis in donatione *extrajudiciali* hoc reqvisitum, *ut præsentibus cistis, qvibus bona illa Geradica asservantur,* CLAVES offerantur, constituere partem dicit, à qvâ neutiqvam sit recedendum salvo illius donationis actu, qvi formâ neglectâ penitus invalidatur *arg. l. 8. §. 17. D. de transact.* imprimis qvod in d. Const. accedat vocula müssen/ qvæ necessitatem qvandam haud dubiè importat. Qvid si autem donatio fiat in præsentiâ cistarum & tradantur CLAVES, anne & tunc insuper designatione fuerit opus? Cumq; eô casu itidem cesset ratio, ob qvam hæc designatio specialiter recepta est, plurimi Dd. non arbitrantur eâ omissâ infirmari actum donationis, præprimis cum sit adjunctum fictæ traditionis, qvę non attenditur, ubi veritas locū habere potest. vid. de hâc controversiâ plura apud *Carpz. part. 2. const. 14. def. 14.* & *Andr. Goldbeck. de Jure Geradæ. c. 7. membr. 3. num. 150. & seqq.* Num autem CLAVIUM qvoqve traditione opus fuerit, qvando res Geradicæ verè ac realiter traduntur, haud immeritò qværunt Dd. Ex verbis eqvidem Const. primô aspectu id videretur affirmandum. Sic n. loqvitur: Jedoch so müssen die Schlüssel alsdenn in gegenwart der Kasten und Truhen/ darinnen solche Stücke verwahret/ dem Donatorio auch d. benebem die donirten Stücke zugestellet und übergeben werden.

Ex.

Ex qvibus manifestum est, eam ad efficacem donationis Geradæ extra judicialis actum non tantùm reqvirere traditionem CLAVIUM; sed & earum rerum, qvæ donantur: adsunt n. verba *copulativa* Auch darneben qvæ, utrumq; desiderari innuunt *arg. l. 5. D. de condit. instit. l. 129. D. de V. O. §. pen. I. de hered. instit.* & qvorum vis & natura est, augere, ampliare seu adjicere ad præcedentia ut loqvitur *Goldbeck. d. l. n. 84.* At cùm rebus geradicis ipsis oblatis atq; traditis realis traditio perficiatur, casu hoc traditionem CLAVIUM necessariam adeò haud esse existimant JCti maximi. Ubi n. res reverà agitur, ibi fictione non est opus, cùm cesset fictio ubi veritas locum habere potest. *arg. l. 17. §. 2. D. de adopt. & emancip.* & qvãdo fictio & veritas concurrunt; præferatur veritas. *l. 23. D. de lib. & posth. l. 8. D. de castr. pecul. l. 76. D. de condit. & demonstr. l. 4. D. de manum. vindict.* Nec è converso opus erit, traditis CLAVIBUS ipsas m. res realiter tradi, cùm ex porrectione CLAVIUM oriatur ficta traditio, qvæ habet effectum veræ traditionis, uti constat; tantum qvoqve, ut sæpiùs diximus operetur fictio in casu ficto, qvantum veritas in casu verò. *vid. Goldbeck. cit. l. n. 87.* Igitur *Carpz. in Ipia For. part. 2. Const. 14. defin. 16.* alterutrum sufficere ait, nec utrumq; simul esse necessarium, licet utrôq; omissô Geradæ donatio invalidetur. Idq; eò magis qvod in *d. Const. 14.* dicatur: Der Donatarius ihr die donirten Stücke / oder die Schlüssel darzu wiederzustelle. Undè haud dubiè probari putat, si Donatrix usumfructum Geradæ sibi reservare velit, de qvô casu d. locus loqvitur, posse id fieri, si post traditionem Donatarius vel res donatas Geradicas, vel CLAVES cistarum easdem continentium restituat donatrici. Qvod si ergò ad perfectam Geradæ donationem copulativè reqvireretur & CLAVIUM & rerum donatarum traditio, utiqve in usufructu reservando utramq; restitutionem m. fore necessariam. Nihil enim profutu-

F 2

futuram restitutionem CLAVIUM rebus donatis penes Donatarium interea manentibus. Atq; ideò *Andr. Goldbeck.* d.l. ita sentit; si in donatione Geradæ CLAVES tantùm traditæ fuerint sine rebus, etiam solas CLAVES, si res duntaxat, res solummodò esse restituendas: qvòd si verò unà cum rebus CLAVES fuerint traditæ ab initiò, etiam ut utræq; restituantur futurum necesse. Qvî autem locutioni Constit. satisfiet, qvæ vult ut verificetur copulativa enunciatio. Respondet facilè *Andr. Goldbeck. d.l.n.93.* & *Carpz. d. l.* copulativam non semper & ubiq; conjungere, d. interdum pati ut ponatur pro disjunctivâ & contra pro ratione materiarum. Sic in *l. pen. C. de V. S.* disjunctiva *aut* pro copulativâ *&* accipitur contrà verò in *l. 53. D. eod.* dicitur, sæpè conjuncta pro disjunctis haberi & accipi. Videri potest hanc in rem *Everhard. in loc. à nat. cop. num. 11.* qvem citat *Andr. Goldbeck. cit. l. num. 94.* & *Carpzov. d. l.* Sed hæc omnia, qvæ de Geradâ hactenus dicta sunt, pro ratione consvetudinis in diversis locis receptæ variant. Immò & in qvibusdam planè cessant, uti videre est in Ducatu Lüneburgico, it. Gvelferbitano & Calenbergico, ubi qvod testatur *Habn. in Obs. ad Wesemb. de don. inter vir & uxor. n. 4. p. m. 256. & seq.* Gerada penitus est sublata, per Constitutiones, qvas refert ibi Hahnius.

XXVII. Diximus suprà §. 21. pro ratione tituli CLAVIUM traditionem nunc possessionem nunc usum tantùm transferre; qvid ergò in contractu Locati Conducti per eandem transeat facilè liqvet. Nolumus hic distinctionem illam *Cujacii*, cujus in d. §. à nobis jam facta est mentio, inter *possidere*, & *esse in possessione* cum nauseâ repetere, qvod inqvilinus, commodatarius, colonus, in possessione qvidem sint, non verò possideant. Illud tantùm sufficiat impræsentiarum, in Contractu Locati Conducti per CLAVIUM traditionem ad inqvilinum nihil præter usum transire. Est enim hæc natura

tura

tura hujus Contractus, ut certâ mercede constitutâ utendæ res vel operæ dentur. Hinc cùm ex eorum numero sit, *in qvibus utriusq; contrahentis utilitas versatur*, præstatur in eô solummodò dolus & culpa levis *l.5.§.2.D.commodati.* Et licet in *§.5.l.de Loc.Conduct.* dicatur, ab eô, qvi pro usu aut vestimentorum, aut argenti, aut jumenti mercedem aut dederit, aut promiserit, talem custodiam desiderari, qvalem *diligentissimus* pater familias suis rebus adhibet; putat tamen rectè *Dn. Vinnius* hic poni Superlativum pro Positivo, ut & in *l.25. §. pen.D.locat.conduct.*

XXVIII. Sed est exceptio aliqva in *nautis*, *cauponibus* & *stabulariis*, qvi in navem, cauponam, stabulum vectores, viatoresq; recipientes & *levissimam* qvoq; culpam præstare tenentur, & exactam rerum receptarum custodiam. Qvanqvàm enim mercedem non ideò accipiant, ut res custodiant, d. ut vel vectores trajiciant, vel in cauponâ viatores manere patiantur & permittant jumenta apud se stabulari; tamen ex Edicto Prætoris, ad custodiam qvoqve omnium rerum, qvas receperunt, obligantur, adeò, ut ea, qvæ receperunt, vel restituant, l. amissorum valorem præstent *l.1.pr.l.3.§ 1. & t.t.D.naut.caup. & stabul.* Neq; verò id injustum esse probat JCtus Cajus in *l.5. D.eod.* exemplo fullonis & sarcinatoris, qvi non pro custodiâ d. pro arte mercedem accipiunt, & tamen custodiæ nomine ex locato tenentur. Hujus autem Edicti maxima est utilitas, tùm ut occurratur fraudibus ex eâ fœce hominum, qvas cum furibus, adversus eos, qvos recipiunt, solent struere *l.1.pr.eod.* tùm ut succurratur viatoribus, qvibus necesse est fidem hospitum seqvi & res custodiæ eorum committere. *eod.* vid. *Wesemb. hic n.3.* Accedit, qvod ipsô factô, qvô res recipit, videatur profiteri caupo, nauta vel stabularius, navem, cauponem, vel stabulum idonea esse, qvibus res tutò credatur. *Wesemb.hic n.5. Zoës. hic n.2. Carpz. Jp. For. Part.2.Const.26.defin.10, n.7.* Ideoq; non tantùm de custodiâ

rerum receptarum tenentur, d. & facta nautarum, servorumq;, immò & vectorum præstare debent & ex rationis similitudine eorum, qvi unà in suà cauponà divertunt, *l. 1. §. fin. D. eod.* Si verò prædixerint, ut unusqvisq; hospitum aut vectorum res suas servet, neq; se velle præstare damnum, & vectores vel hospites consenserint prædictioni (nec verò opus est expresso consensu, d. sufficit tacitus *Struv. Exerc. 8. th. 117.*) non tenebuntur. *l. fin. pr. D. eod.* Eàdem ratione, si qvis viatorum vel vectorum rem suam inscio caupone s. nautâ l. stabulario, mediastino s. filiofam. custodiendam dederit, caupo vel nauta aut stabularius, de damno, si amissa fuerit, conveniri neqvit; hospes enim hôc ipsò à jure suo ex Prætoris Edicto sibi competente recessit, atq; ideò favori pro se introducto tacitè renuncians solum filiumfam. vel servum de peculio convenire poterit.

XXIX. Qvid si a caupo hospiti vel viatori apud se divertenti CLAVES scrinii vel cubiculi, in qvo res suas recondit, vel ipse commoratur, tradat, annè rerum illatarum periculũ hôc pactô amolietur caupo? Negant id Dd. communiter. Wissembachius eqvidem *Disp. ad Pandect. 15. th. 25.* hanc qvæstionem magis facti, qvàm juris esse arbitratur, atq; ideò ex conjecturis dijudicandam. Respondet tamen *gl. in l. fin. §. 1. D. d. t.* solam traditionem CLAVIUM non habere tantam vim tacitã, ut aliqvis liber exindè reddatur à culpâ, qvia si hoc foret, daretur cauponibus materia delinqvendi, qvod facilè sit habere duplicem CLAVEM, aut alias adulterinas, sicq; nihil esset tuti ab ejusmodi hominibus de qvibus lex parùm boni præsumit *l. 1. D. d. t.* vid. *Johann. Sichard. in Cod. l. 1. & 4. de Locat. Conduct. n. 9. Petr. Ostermann. Rational. ad Instit. §. 45. de R. D. Struv. Exercit. 8. th. 117.* qvibus hanc negandi rationem addit Wissembachius, qvod CLAVES alio animo traditæ esse possint atqve acceptæ; liberioris nempe usus cubicu-

biculi gratiâ, non periculi ſuſcipiendi conſilio. *d. l.* Ne igitur in totum fruſtranea ſit hôc caſu CLAVIUM traditio, ait *Sicbardus d. l.* ſicut in Contractu E. V. non operatur cuſtodiam, ſed mercium venditarum translationem; ita qq. locô hôc eam illud operari ut conductor ſ. viator poſſit ſecreto ingredi & egredi, merces ſecreto inferre & auferre, condere & promere, ne invitentur fures. Affirmat tamen ibidem, ſi CLAVIUM traditioni jungeretur prædictio ſ. proteſtatio, tùm liberum cauponem fieri à præſtatione cuſtodiæ, non qvia *CLAVES* ſint traditæ d. qvia ſit prædictio facta conductori ſ. viatori; idqve extendit eò, horrearium etiam tradentem *CLAVEM* horrei conductori, ſine prædictione, liberari à culpâ leviſſimâ; cujus rei fundamentum ponit in *gl. in d. l. fin.* §. *1. D. naut. caup. & ſtab.* qvod inibi dicatur propter traditionem *CLAVIUM* horrearium mitius teneri. Hinc infert prædictionem ſ. proteſtationem à caupone ſ. horreariô factam ſufficere ut liberetur ab omni cuſtodiâ, per *d. l. fin. D. naut. caup. & ſtabul.* & qvamvis Ulpian. ibi videretur innuere, hoc eſſe verum, ſi conductor ſ. viator conſenſerit, *gloſſ.* tamen *ibid.* ſubintelligere dictionem *Maximè*, id eſt, qvod maximè non teneatur caupo vel horrearius, ſi prędictioni conſenſerit conductor, licet ſi nõ conſentiret, adhuc propter proteſtationẽ non teneretur horrearius vel caupo. Barthol. tamen & Dd. cõmuniter refert diſtingvere, inter prædictionem *anteà* & *poſt* interpoſitam. Vel n. cauponem ſ. horrearium *in principio* fuiſſe proteſtatum, ſe non velle teneri, & ibi conductoris ſeu viatoris conſenſum non præciſè reqviri, qvod ſibi habeat imputare, qvi non aliter ſibi conſulere voluerit; vel *poſtqvàm jamtùm viator vel conductor per aliqvod temporis ſpatium fuerit ibi commoratus*, & tum prædictionem nihil operari ſine conſenſu conductoris. Qvamvis n. vulgatum ſit, proteſtationem conſervare alicui jus, procedere tamen hoc in jure non

qvæ-

qvæsito, sed qværendo: hóc enim modó sibi neminem qvicqvam præjudicare *arg. l. 8. §. 15. D. qvib. mod. pign. vel hypothec. solvit.* Jam dictis calculum suum adjicit *Joh. Schneidew. Comment. ad Inst. de Obl. qvæ. qvasi ex del. nasc. n. 4. p. m. 124.* qvando ex gl. ibi cit. distingvit, an CLAVES traditæ sint *ab initio* cum prædictione, ubi tunc valere, ait, protestationem & à custodiâ liberare; (sine prædictione v. traditas præsumi commoditatis gratiâ) aut *posteà*, & ibi nihil operari prædictionẽ, ut maximè fuerit interposita, colligit hoc insuper ex *l. 5. C. de O. & A.* Sicut autem traditio CLAVIUM cum prædictione facta liberat à custodiâ, aut vi *gl.* tantum operatur, ut mitius postea agatur cum horreario vel caupone, ita ex adverso tacitè in se suscipi custodiam ipso facto, tradit *d. l. Sichardus*, si qvis recipiat CLAVES ad eam Cameram vel horreum, qvod locavit instar cauporis, nautæ & stabularii, & inqvo conductor vel viator res qvasdam reliqvit, qvamvis nihil expressè dicatur. In cujus rei exemplum adducit mercatores, Francofordiâ recedentes reddere CLAVES dominis horreorum, per qvod factum tacitè custodia videatur demandata.

XXX. His ita pro ingenioli modulo expositis, non videtur silentio prætereundum, qvód passim legimus, fuisse olim moris, novis nuptis CLAVEM tradere atq; donare. Qvæ qvidem à marito si fieret traditio, significabat, omnium rerũ domesticarum curam totamq; & domus reiq; familiaris administrationem ac dispensationem Sponsæ permitti; *Cypræus de Sponsalib. cap. 5. §. 14. p. m. 135.* Traxit id qq. originem, à traditione CLAVIUM translationem rerum in alterius possessionem denotante. Patet v. ex *Joh. Henr. Ursin. l. 5. c. 34. tit. CLAVES Regni Cœlorum, p. m. 294. Analect. Sacr.* duplices CLAVES à diversis fuisse traditas: vel à marito, ut insigne collatæ administrationis totius familiæ; vel ab extraneo, qvod secundùm explicationem *Pompeji Festi* partus significaret

faci-

cilitatem. Qvam in rem dictus autor *Artemidori*, qvem vanitatis qvidem magistrum, reconditæ tamen eruditionis promum salutat, locum allegat, *de Somn. Interpret. lib. 3. cap. 54.* ubi ita loqvitur: CLAVIS *per somnium conspecta ei, qvi uxorem ducere proposuit, fidelem eam ac domûs custodem fore significat; qvi v. curare & dispensare res alienas volunt, his fidei & auctoritatis significativa est.* Sicut a. CLAVIBUS traditis, ipsa qq. rerum domesticarum cura uxori tradita fuit; ita vicissim repudiatis CLAVES fuerunt ademtæ, qvod refert *Ursin. ex Dempster. ad Rosin. Antiq. lib. 5. cap. 38.* & probat *Salmuth. in Not. ad Panciroll. lib. rerum memorabil. de Nupt. sub fin. p. 692.* Itemq;, si ipsæ divortium facerent, ab iisdem depositæ. Testimonium hujus rei haud vanum petit ex *Cicer. Philipp. 2.* qvando; *Ille*, ait, *suas res sibi habere jussit, CLAVES ademit, forasq; exegit.* & *Ambros. epist. 65. Mulier offensa CLAVES remisit, domum revertit.* Rationem hujus solennitatis *Conradus Rittersh. in Nov. c. 8. p. 227. ex l. 35. D. de R. J.* depromit qvod qvibus modis unumqvodq; contractum sit, iisdem in contrarium actis solvi debeat.

XXXI. Magis est, ut dicamus de *CLAVIBUS AUREIS*, qvas Regum Camerariis collatas commemorat *d. Ursin. in Anal. Sac. lib. 1. cap. 15. de CLAVIBUS aureis.* Et cum eo non pauci alii; tanqvam insigne tàm dignitatis, qvod aurum significabat, qvàm potestatis, qvâ conclavia Dominorum intrare non prohibebantur. Nec dubitat affirmare Oeconomis Regum apud Judæos olim CLAVIM fortè auream tradi consvevisse, & *Isaac. Casaubon. Exercit. 16. ad Annal. Eccles. Baron. p. m. 647.* Sobnam fuisse magistrum palatii, cujus insigne fuerit *CLAVIS*, docet ex *Isaia c. 22.* Qvicqvid tamen sit, hodiè per *CLAVEM* auream Camerariorum dignitatem atq; officium indicari constat; qvod magni olim fuisse habitum in Imperio, testatur insignis Philologorum antesignanus *Caspar Barthius*

G *ad-*

adverſar. tom. 1. *lib.* 45. qvippe Camerarii principem ſtiparent proximi, & qvodammodò Cameram ejusdem gubernarent. Nominatur à *Camerâ*, qvæ olim uſitatius cubiculum dicta fuit. Undè *Limnæus de J. P. lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 2. Imperatores Romanos antiqvos habuiſſe Præpoſitos ſacri Cubiculi,& inter hos primicerium, id eſt, qvi primum locū gradumq; inter reliqvos obtineret Cubicularios teſtatur. De his ſacri Cubiculi Præpoſitis peculiaris conceptus eſt in *Codice* noſtro *Juſtinianéo* titulus in cujus *l.* 1. *Impp. Honor. & Theodoſ.* ita loqvuntur: *Sacri cubiculi Præpoſiti eá dignitate fungantur, qvâ ſunt præditi, qvi eminentiſſimam prætorianam vel urbanam meruerint præfecturam, aut certè militarem magiſteriam poteſtatem: ita, ut ſit inter eos, poſt depoſitas adminiſtrationes nulla diſcretiò, ſive noſtræ Serenitatis adoratuit admittantur imperium, ſive pro ſuò arbitrio ſolennes feſtivitates & cœtus, vel ſalutationes, vel alia qvælibet officia freqventent &c:* Præpoſitorum ſacri Cubiculi privilegia alia, ut, qvod eorum poſſeſſiones immunes eſſe debeant ab angariis & parangariis, nec non paraveredis, domusq; illorum in qvâlibet civitate poſitæ liberæ ab omni hoſpitum inqvietudine, cujuslibet dignitatis illi fuerint, coram Comite & magiſtro officiorum tantùm, nō alibi conveniri poſſint, iisq; liceat, extra aulam in itinere cingulo uti, &c. videri poteſt *t. t. C. de præpoſ. ſacr. cubic. & omnibus Cubicul. & privileg. eor.* Cæterùm *Limnæus loco jam citato.* refert, qvod *Favyn lib.* 2. *des officiers de la Couronne de France, chap.* 8. *p.* 124. Camerarii munus ſub ſecundâ Regum Galliæ familiâ ita deſcribat: *La Charge du Chambellan eſtoit, de faire tenir le Palais tousjours net & proprement tapiſé, les habillements du Roy biennets, & bien ployez, ſon lict bien fait (au pied duqvel le Chambellan eſt tenu de coucher, au cas, qve la Royne n'y ſoit) & ſon linge bien blanc. A qvoy il falloit qve la Royne priſt garde, comme devant par deſſus tous les autres, avoir*

voir soin de la personne du Roy, son mary, duqvel elle a l bonneur d' approcber le plus pres, qve toute autre personne; joinct qve naturellement les femmes sont plus propres d avoir l' veil au mesnage, qve les bommes. Dessous la Royne le Cbambellan avoit le soin de tout, & tous deux ensemble avoient leur Argentier ou Tresorier, pour donner recompense aux Gentilsbommes & Valets de Cbambre, & aux Soldats de la pore du Roy. Ilavoit aussi la disposition, & pouvoit ordonner des deniers destinés pour les presents extraordinaires, qvel on faisoit aux Ambassadeurs des Princes estrangers; si ce n' estoit Present de si grand prix, qve le Roy commandast au Cbambellan d' en communicqver à la Royne &c. Qvod Latinis expresſit *Limnaus. Addit. Tom. 1. ad b. l. p. 364.* Supremi in Rom. Imperio Camerarii ſplendore coruſcat Potentiſs. Elector Brandenburgicus, Sacr. Rom. Imp. ArchiCamerarius, des Heil. Röm. Reichs ErtzCämmerer *A. B. cap. 27. §. 3.* qvem & *Cubiculi Custodem*, & *Fisci Praefectum* appellat *Besoldus in Thes. Practic. verb.* Churfürſten/ illiusqve inſigne olim Claves fuiſſe teſtatur. Nunc v. *Sceptrum* eſt, argumentum Gubernationis, qvod Imperatori noviter electo in ipſo Coronationis actu præfert. *A. B. 22.* & conſiſtit à latere ſiniſtro Potentisſimi Elect. Saxon. Patris Patriæ noſtri Clementisſimi. *A. B. d. l.* Habet ſextum votum in Electione Imperatoris *A. B. c. 4. §. 3.* In ſolemni Curiâ aqvam abluendis manibus Imperatori vel Regi Rom. porrigit *c. 27. §. 3.* Illius SubOfficiarius, ſive Vicarius, ErbCämmerer/ olim fuit Comes de Falckenſtein, *d. c. 27. §. 6.* nunc Comes de Hohen Zollern/ *Besold. d. l. & vocab.* ErbKämmerer *ut & Speidel. Notab. eod.* cui eqvus & pelvis & mappa poſt ceremonias peractas jure cedit *A. B. c. 27. n. 6. Limn. lib. 2. cap. 5. n. 10. Job. Tbeodor. Sprenger. in Ipia publ. p. m. 160.* Num v. Electore Brandenburgico abſente ipſius Legatus, an verò SubCamerarius, Comes de Hohenzollern / hoc officium expedire debeat, cùm res jamtùm pro Vicario ſ. SubOfficiario ſit deciſa, temporis & chartæ lucrifaciendæ gratiâ meritò tacemus, ſimul remittentes Benevolum Lectorem ad ſæpè cit. *Besoldi Thes. Pract. vocab.* ErbKämmerer/ nec non *Speid. Notab. eod.* ubi & porrò ſatis luculenter evincitur,

G 2

tur, si Vicarius miserit Legatum, non hunc, sed ordinarium Curiæ Imperialis ministrum, qvi hôc munere gaudet, ad officium hoc admittendum esse; fructibus tamen & emolumento consveto revertente ad Vicarium, den ErbCämmerer/ *Capitul. Ferd. II. art. 41. & Limn. ibi, p. m. 611.* Habet enim Imp. suos Camerarios qvotidiè sibi ministrantes, qvorum officia *Autor descriptionis Status particularis Regiminis Ferdinand. II. Imp. cap. 8. fol. 76. & seq.* citante eum *Speidel. in Notab. sub verb* HofKemmer/ ita refert: *Supremi Cubicularii,* des Obristen Cämmerers/ *jurisdictioni subesse cæteros Cubicularios, omnesq; alios Cubiculo inservientes. Eundem Oratores Regios, Legatos & alios Principes, Dominos & Eqvites &c: Sacra Cæsar. Maj. ad audientiam, uti loqvuntur, adducere. Litteras fiduciarias. s. Creditiva ab Agentibus & Sollicitatoribus tàm exterorum Magnatum, qvàm Imperii Principũ aliorumq;, qvi ad aulam Cæsaream ablegantur, accipere & Cæsari tradere, atqve tunc præfixum audientiæ tempus per Cubiculi Portitorem qvendam indici curare. Noctes ipsum ante Cubiculum Cæsareũ vigilias sapè peragere, deauratamq;* CLAVEM *Cubicularium holoserica tænia nigra appensam in signum officii sui portare. Consimiles* CLAVES *cæteros SubCamerarios vel SubCubicularios ab hôc Supremô Camerariò manu propriâ suscipere, peregrè abeuntes easdem illi retrotradere, redeuntes v ab eô recipere. Esse Cubicularios plurimos, alios tantùm honore & titulo, alios autem actu & opera. Horum numerari 12. & ex illis duos per hebdomadam ante Conclave Cæsareum noctu vigilare, ubi Cæsar in Anti Camerâ mensa acumbit, eosdem dapes appositas prælibare* &c. vid. *Limn. ad Cap. Cæsar. p. 608. & seq. Herman Herm Fascic. Jur. Publ. cap. 21. §. 7. p. 377. & seq.* Ex Constitutione Caroli Crassi de Expeditione Romanâ, vom Römer Zug/ apud *Lehmann in Chron. Spir. lib. 2. cap. 42. p. m. 178.* Videre est, antiqvitùs singulos Principes suos habuisse Officiarios, inter qvos Camerarii qvoqve fit mentio. Hujusq; rei vestigia apud plerosq; Imperii Principe adhuc existere ex *Limn. ad Capitul. Cæsar. p. 557.* annotat *Speidel. Notab. voc.* ErbKemmer: qvod utplurimùm non solùm qvatuor illos Officiarios, qvi ibi enumerantur, Mareschallum, Dapiferum, Pincernam & Camerarium habeant temporales, & qvotidiè aulam seqventes, die allezeit bey Hofe und zur stelle seyn/ qvos pro lubitu constituant; verùm m. qvandoq; hereditarios, qvi hæc officia à Principibus in

feuda

feuda recognoscant,&ad suos heredes feudales transmittant certis v. solummodò temporibus, vel in solennitatibus majoribus officia sua expediant. Exempli loco *Limm. d. l.* refert Electoratus Saxonici Mareschallum hereditarium ex familiâ Lœserorum ; ex Peccenstein in Theatro Saxon. part. I. cap. 13. p. 176. Qvin & hodiè hoc munus Camerariorum non tantùm in Aulâ sacratissimi Imperatoris, sed & Potentissimorum EE. ut Reges alios taceam, haberi & CLAVEM qvandam deauratam gestare, plusqvàm manifestum est. Et eos *Speidel. Nomb. voc.* Cämmerer / dicit esse qvasi amicos primæ admissionis, ac in signum officii & honoris illis CLAVEM deauratam, ein vergüldter Schlüssel / tradi, per qvam non pulsato ostio, jus intrandi conclave Imperatoris vel EE. illis concedatur. Documento nobis esse potest splendidissima Potentissimi Electoris Saxon. Domini ac Nutritii nostri Clementissimi, Aula, in qvâ non solùm omnes, qvi ad intimiora admittuntur consilia, ejusmodi CLAVEM deauratam gestando Camerariorum dignitate fulgent, sed & ii, qvi insignibus animi dotibus atq; virtutibus suis præ cæteris Principis gratiam atq; favorem sibi conciliárunt.

XXXII. Ut a. teste *Alexandro ab Alex. Gen. dier. lib. 6. cap. 18.* tribunorum olim militum fuisse officium, Marcellus notavit, milites in castris habere dicto audientes, & intendere imperio, ad exercitationes reducere, in stationes mittere, CLAVES portarum suscipere, &c. ita qvoq; hodiè præfectorum militum, qvi in municipiis præsidii locô sunt appositi à Principe istius loci, qvos vulgò Commendanten vocant, est, CLAVES portarum non suscipere tantùm, sed & servare ; qvæ CLAVIUM asservatio, cum nomine ipsius Principis fiat, plenissimam potestatem & superioritatem territorialem denotat. Fluxit exindè consvetudo eorum, qvi deditionem facere solent, ut victoribus CLAVES civitatis tradant, eôq; ipsô illorum imperio se submittant. Nunqvam enim non magni habitæ fuêrunt CLAVES portarum, qvòd qvemadmodùm in dubio de jurisdictione & superioritate territoriali, fortissima pro illarum possessore militet præsumtio, ita omninò superiores judicentur illi, qvibus CLAVES fuêrunt traditæ, aut jure belli in earum venêrunt potestatem. Qvô haud dubiè commotus fuit, Rudolphus I. Imperator, ut, cùm civitas

dictione disceptâsset, magistratui, qvi CLAVES eô tempore habebat in suâ potestate, injungeret, CLAVES ad duo milliaria ab urbe in apertum vehi curare campum, atq; super illis cum Episcopi copiis prælium inire, futuram illius jurisdictionem cum CLAVIBUS, qvi victor abierit. Sed factum est, postqvàm ab utrâq; parte ancipiti fortunâ non sine ingenti militum jacturâ diu esset pugnatum, ut civitas cum victoriâ CLAVES reciperet, cumq; CLAVIBUS plenam suam retineret potestatem. *Dietherr. in Not. ad Besold. edit. ultim. vocab.* Schlüssel *Limn. Addit. Tom. I. ad lib. 7. c. 10. p. 217. Lehman. Chron. Spirens. lib. 5. cap. 59. p. 514.*

XXXIII. Eæ verò Civitates, qvæ CLAVES portarum ipsæ custodire solent, dicuntur habere *Jus* CLAVIUM, hoc est, urbis Clausuram & aperturam, uti id interpretatur *Hermann. Herm. in Fascic. Jur. Publ. cap. 31. § 36.* Qvô *Jure* CLAVIUM Imperiales gaudent Civitates, & hoc præter experientiam qvotidianam suô calculo comprobat *Limn. Addit. Tom. 2. ad lib. 7. cap. 2. p. m. 85.* ubi dicitur, qvod magistratus oppidanus Civitatis Aqvisgrani eligat Christoffelsen / qvi civitatis nomine CLAVES custodiant portarum; & ex serte *Hermann. Herm. d. l.* Cœterùm oblatio CLAVIUM, si fiat à Civitate qvâdam, non qvidem deditionem meditante, varia denotat. Qvandoqve n. ea fit, respectu *superioritatis territorialis*; ut, qvando urbs qvædam Principi suo CLAVES portarum offert, vel is, qvi à Principe militibus in eâ appositis præfectus est, qvod & in hâc ipsâ fieri consvevit urbe, qvando Potentiss. ELECTORI nostro hic commoranti clausis oppidi portis CLAVES illarum offeruntur; vel respectu *supremæ vel universalis protectionis*, vel etiam *comis reverentia.* (qvæ tamen asserente *Philippo* Knipschildt *lib. 2. c. 1. n. 67. de Civit. Imp.* progressu tẽporis non rarò in usum & observantiam transit.) Qvô ergò respectu Imperatori adventanti, Knipschildt *de Civ. Imp. lib. 2. cap. 1. n. 49.* *Herman. Herm. cap. 31. § 35.* Reinking *de Regim. Sec. & Eccles. lib. 1. Class. 5. cap. 7. § 4.* vel noviter electo *Joh. Theodor. Spreng. in Ipia Publ. p. 173.* CLAVES offerantur à Civitatibus Imperialibus, non conveniunt inter se Juris Publici Dd. Qvod respectu *superioritatis territorialis* id fiat, negant plurimi, cùm ipsam superioritatem territorialem habere Civitates istas statuant *Herman. Herm. c. 11. § 34.* & Knipschildt *lib. 2. cap. IV.* ubi latè id probat, & dissentientibus, inter qvos eminet

Andr.

Andr. Knichen. de subl. & Reg. Territor. jur. c. 1. n. 116. respondet. *Besold. Thes. Pract. verb.* Reichs Städte/ *Speidel. Notab. voc. eod.* Alii alio respectu id fieri contendunt, sed omnia heic recensere non vacat. Inclinant eò non pauci, qvorum signiferi sunt Knipschildt *cit. loc. lib. 2. c. 1. n. 68 in fin.* & *Hermes. d. l. n. 36.* fieri hanc CLAVIUM oblationem, *ex reverentiâ & in recognitionem superioritatis Cæsareæ, universalisq; protectionis, nec non insignum illius, qvam permittunt eorum privilegia & jura tanqvã Statuum Imperii, subjectionis;* qvæ tamen libertatem earum ac jura nullô modô tollat, præsertim cùm Imp. nudâ tantùm CLAVIUM oblatione utplurimùm contentus sit, & civitatibus eas vel in manibus relinqvat, vel statim restituat.

XXXIV. Lubet hic in parenthesi qvasi tractare qvæstiunculam illam nobilissimam, utrum jurisdictio Civitatis cesset Imperatori præsenti oblatis CLAVIBUS? Videtur id primâ fronte largiendum, cùm in suspensô esse soleat judicis minoris jurisdictio præsente majore *l. 56. D. de judic. & ubi qvisq; &c.* Ubi enim qvod vulgô dicitur, Leo figit pedem, ibi cætera qviescunt animalia; & eleganter hanc in rem *Bodinus de Rep. lib. 3. c. 6. p. 489. Qvemadmodùm fluviorum vis & impetus unà cum nomine absorbetur, cùm ab ostiis in mare confusi labuntur; & siderum omnium stellarumq; tùm errantium, tùm inerrantium lux nulla percipitur, cùm primùm sol exoriri cœpit, qvasi lumen acceptum soli restituere videantur: ita qvoq; Senatus autoritas, ac magistratuum omnium Imperia præsente Principe conqviescunt.* Negatur tamen id communiter. Ut maximè enim hoc priscis temporibus ita obtinuisse concedamus, qvod affirmat Reinking. *de Reg. Sec. & Eccl. lib. 1. Class. 5. c. 7. n. 8.* cùm inferiores Magistratus omnes precariam & administrationis titulo annexam jurisdictionem habeberent: modernis tamen temporibus res aliter est comparata, ut, licet Imperator in inferioris territorio sit, aut in ejus veniat districtum, non tamen propthereà jurisdictio inferioris tamdiu cesset, qvia sua cuiq; servanda jurisdictione fiat confusio Reinking. *d. l. n.*

keits löblichen Herkommen und Gebräuchen/qvod expresse repetitur in *reformat. Worm. de Anno* 1521. sub eadem rubricâ & *in Capitul. Caroli V.* §. 4. Aller der Fürsten/Grafen/Herren und Stände/ bey ihren Hochheiten/Würden/Rechten/Gerechtigkeiten/Macht und Gewalt/ jeden nach seinen Stand bleiben lassen; præprimis, qvod hodiè alia sit Imperii facies, postqvàm Statibus Imperii Jurisdictio cum Regalibus jure perpetuo & hereditario tributa sit, qvæ omnia clariora fiunt ex eô, qvod in Civitatibus, ubi Comitia exercentur, qvantumvis præsente Imperatore, jurisdictio earûm maneat integra uti tradit *Hermes d.l.n.37.* & Reinking *lib 1 class.* 5. *cap.7.n.11.*

XXXV. Refert qvoq; alia exempla Knipschildt *d. l. n. 62.* qvibus testatum facit, *urbanitatis & reverentiæ tantùm gratiâ* offerri CLAVES. Qvòd nimirum olim monasteria libera, die Reichs und andere Klöster/etiam ipsorum Advocatis & Protectoribus, immò qvandoqve aliis CLAVES tradiderint tamdiu, qvoad ibidem commorati fuerunt. Sic qvoq; receptum antiqvitùs fuisse in monasterio Herbertingensi, ut Abbas, si qvando ex Ulmensibus Ehingeris, fundatoribus alicujus in templo ibidem Capellæ, aliqvis eò veniret, ei obviam veniens CLAVES Cœnobii exhiberet & traderet. Porrò ex *Authore* des Wertheimischen Gegen-Berichts *contra* Würtzburg / *cap.3. fol.40. & Mager. de advoc cap. 10.n.279.* recenset, Comites Wertheimenses asserere, se in monasterio Grumbacensi, tanqvam Protectores, Abbatiâ vacante, jus habere CLAVIUM, ut, si Abbas ibidem fortè moriatur, Comes Wertheimensis vel ipse, vel per suos, monasterium, CLAVES, & ea, qvæ ad Abbatem pertinuérunt, in custodiam suam recipiat, & tamdiu retineat, donec alius Abbas electus succedat defuncto. Prætereà ex *Discurs. Author.* Ob die Reichs-Vogtheyen *p.106.* Nobiles, ait, de Kemnat, tanqvã Advocatos monasterii Irsin/ án monasterium illud venientes CLAVES à Prælato avocâsse & ad se recepisse. Ut indè meritò colligendum veniat oblationẽ CLAVIUM, pro intentione offerentium, nunc magis nunc minus inferre.

XXXVI. Non adeô absurdum videtur, postqvàm de CLAVIBUS portarum paucula qvædam attulimus, *de Jure aperturæ*, vulgò Oeffnung/nonnulla addere. Hanc ad superioritatem refert *Limnæus de I.P. lib 4. cap 8.n.244.* & *Speidel Notab. vocab.* Landsfürstl. Obrigkeit/ pertinet autem propriè ad munitiones & jura belli; *Klock de contribut. cap.7.* §. 117. & ad superiorem Vogtheiam, qvæ jure Principatus com-

competit refertur. *Kinchen. Tract. de jur. Territ. p. 334. Besoldus Thes. Pract. vocab.* Oefnung/ & Reinking/ *de Reg. Sec. & Eccles. lib. 1. class. 5. cap. 4. n. 109. Wehner. Verb.* Oefnung/ est autem tale, qvod subditi, tenentur tempore belli Domino territoriali aperire arces & castra, si qvæ posside nt. *Wesemb. consil. 2. n. 78. Speidel. loc. cit.* Reinking *l. c.* ubi addit à *Boer. decis. 2. n. 53. in fin.* ita jus aperturæ describi, qvod Rex s. princeps in civitatibus, castris, villis & munitionibus regni seu Principatus sui, debeat absq; difficultate cùm omnibus suis intrare atq; honorificè recipi. Id qvod & intelligi debere de castris in feudum Nobili concessis nullus ambigit *Speidel. d. l.* qvod plerumq; inseratur litteris investiturarum, daß das Schloß N. uns soll offen seyn/ wieder männiglich/ wo wir es bedürffen/ testatur hoc *Besold. d. l.* & antiqvitus in Instrumentis Oefnung/ vocatam fuisse, *aperibile feudum*, It. Aufgebig Lehen/ qvorum natura esse videatur, ut sint hereditaria. Exemplo est, qvod ibidem ex Actis Sayn/ contra Trier *fol. 18. & seq.* refert, Hillenum Episcopum Trevirensem in feudum concessisse Comitibus de Seyna Castrum Sayna, An. 1152. hâc conditione: Qvod si nos gverram cum aliqvo habere contingeret, contra qvem nobis adjutorium præstare non possint, de Castro exire & ejus potestatem absq; eorum exhæredatione nobis dare debent: ita, ut finitâ gverrâ ad Castrum tanqvam suum feudum redeant: Formam verò, qva reservatur jus aperturæ, communem talem esse dicit *Besold.* Auch sollen der vorgenant N. und alle seine Erben/ uns und den unsern die genante Städe und Veste offen haben/ und damit gewärtig seyn/ uns und die unsern zu allen unsern Nothdurften/ darinn und daraus zu lassen/ und darinnen zuenthalten/ wider allermänniglich/ niemand ausgenommen/ doch ohne ihren mercklichen Schaden/ ungefährlich/ Nolo hoic litem illam recoqvere, qvæ est inter Weiembec. & Bidembach. referente Knipschildt *lib. 2. c. 8. n. 173.* ubi *ille cons. 2. n. 78. part. 1.* hæc verba: Das Schloß soll uns offen seyn/ wieder jedermanniglich/ zu unseren Kriegen und Nöthen/ wo wir das bedörffen/ niemand ausgeschlossen/ qvæ communiter in reservatione aperturæ apponuntur, non aliter, nisi de reservatione superioritatis accipi posse contendit. *Hic v. nob. qv. 22. per tot.* dicere perhibetur si conjecturam facere liceret, potiùs ad Valalli urbanitatem, qvàm ad Domini jurisdictionem hoc esse referendum, ut sc. Vasallus Dominum per fundum feudalem transeuntem, ob illam voculam, der

Oeffnung/ investiturae insertam, domi suae hospitio recipere debetet, eò qvod Jure Feudali cautum, Dominum, suis tamen sumtibus, apud Vasallum divertere posse, teste *Schrader. de feud.* Hoc tamen qvovis certò est certius, ut maximè maximum interdum sit vinculum, & ferè subjectionem importet, non tamen per aperturam probari posse superioritatem territorialem. Id qvod latè probat *Besold. d l.* exemplo Comitatus Ortenburg/ & aliis. Et ex priori non immeritò colligit, Oeffnung suo modo dici posse foedus inaeqvale, ubi unus alterius Majestatem comiter observat, & ejusdem Cliens qvoq; existit. Cumprimis qvod aperturae jus competat vel ex dominio & proprietate, ut inter cohaeredes, vel ex pacto, ut inter foederatos. Priori casu Comites de Hohenzollern in castris suis sibi invicē debēt jus aperturae, teste *Dietber. in Addit. ad Besold. h l.* Posteriori Austriae Archiduces, in Episcopatu Tridentino aperturam habent ex *Cephal. Consil 618.* referunt *Speidel hic.* & *Dietherr d l.* Venit m. hoc jus qvandoq; ex praescripto, aut consvetudine, testantur *iidem ibid.* Qvomodò Advocatis & Protectoribus competat, videri potest *Speidel. d. l.* Qvod si aperturam deneget Vasallus Domino, committit omninò feloniam, ob qvam justè feudo privatur: qvando verò Dominus ob eam denegatam ad feudi privationem agit, imprimis videndū est, utrū *jure*, vel *dolo*, aut *sine probabili causa*, id fecerit, qvam ad rem non parum facit, qvod *Besoldus* tradit *d. l.* ex Waldeckischen Ehrenrettung/ ubi allegatur exemplum in Landgravii Hassiae, welche jederzeit ihr und der ihrigen Ankunfft den Grafen von Waldeck notificiret/ und dieselbe de damno & expensis nicht allein versichert/ sondern auch an der Creyß-Stuer solche Unkosten ihr decurtiren lassen. Welches auch der Feudisten Meynung ist/ die den Lehnherrn diß morale geben/ qvod Domini civiles esse debeant, und nicht mit der Thür dem Vasallen ins Haus fallen/ &c.

XXXVII. Possem hic latiùs divagari, sed alarum mora tur chartae angustia, ideoq; pedem figimus & petitione ab initio factam repetimus, Aeqvum Lectorē obnixè rogantes, ut aeqviùs de illimatis hisce pagellis judicare ne gravetur; qvę gratiores forsan illi futurę fuissent, à firmiori ingenio, ac eruditione solidiori profectae. Caeterum Tibi, mi JESU, pro concessâ hactenus ad hocce opusculum nostrum largô cum foenore Tuā gratiâ, gratias habeo agoq; tantas, qvantae ab homine proficisci possunt.

DEO SOLI GLORIA

DUm JURA, LOSSI CLARE, clavium exputas;
Fac JURIUM claves apiſcaris bene:
DEiq; PRINCIPISq; non deërit favor.

JOACHIMus Merger/D. & Prof. Pand. Publ.

AD GENEROSUM & Nobiliſsimum
Dnum. JOHANNEM CASPARUM à LOSS, Eqv. Miſn.
Cum de JURE CLAVIUM
publicè diſputaret.

AUdaces *THEMIS ALMA* juvat timidosqve repellit.
Audendùm eſt aliqvid ſummos tendenti ad honores.
Laudo proinde tuos conatus, *OPTIME LOSSI*;
Hactenus es nobis *privato* continuoqvè
In Studiis conſtans ſudore, labore probatus,
Conſcendis *publicam* jam nunc *THEMIDOSq;* Cathedram,
Viribus ingenii propriis confiſus abundè.
Scilicet: *hoc decus eſt GENUINÆ NOBILITATIS*,
Addere Stemmatibus PROAVORUM Laudis & Artis
Non ementitum, ſed Verum INSIGNE DECUSQUE:
Perge bonis avibus, *FELICITER* omnia Cedant!
Clarus ſis *PATRIÆ* multò mactatus honore.

Amico & Fautori deamando ſcr bebat gratulab.
WERNER THEODORUS MARTINI D. P. P. Ser. Elect.
Saxon. à Conſil. Appellat.

PUlchra qvidem res eſt, ſi exornent atria ceræ,
Virtutem autem addis? pulchrior eſſe ſolet.
Hæc tu perpendens LOSSI Generoſe, perenni
Virtuti ſtudium, tempus & omne locas.
Grande decus decori LOSSI ſuperadditur alto,
Atq; ita duplicitèr Nobilitatus eris.
Hinc merito pleno qvoq; jam feliciter ore

I virtute tuâ, labor hic tibi proderit olim,
Exq; manu Themidis digna brabea dabit.
Sic tua Nobilitas magis inclarescit, & istam
Non sine laude tuâ sic geminare potes.

MICHAEL LEDERERUS J. U. D. & Facult. Jurid. Assessor Senior & p. t. Decanus.

AD NOBILISS. ERUDITISSIMUMQ.
Juvenem JOH. CASPAR. A. LOS.
L. FRID. RAPPOLT. Prof. Publ. in Academia Lipsiensi.

Visa est recludi Gloriæ dudum Tibi
Beata porta. Visa sed tantum fuit,
LOSI, recludi. Sangvini patuit tuo,
Generiq; forti, rebus & gestis Patrum.
Tibi clausa, Virtus donicum suppar avis
Ad illa duxit gloriosa limina.
De JURE doctè disputasse CLAVIUM
Hæc prima clavis, crede, ad illam Gloriam est.

Johann Casparus de Los.
ἀναγραμματιζόμενος:
CLAVIS, pandas honores,
CLAVEM suam alloqvens.

Qui benè Te expolii hîc, studio multoq; labore,
Ad summos pandas *mihi portas*, *CLAVIS*, honores.
bonæ scævæ ergò non sine omine introductus
à
M. Christiano Faselio, Coll. Phil. Adj.

Est multum, longo pictos ostendere vultus
Ordine, fumosos & numerare Patres.
Ast etiam accedat propriæ virtutis agalma,
Virtutem Juvenis gloria avita petit.
Qvid juvat in meritis aliorum qværere laudem,
Qvæ venit ex nostris fama, perennis erit.
Non igitur LOSII virtus generosa qviescit,
Ultra Majorum tendit abire gradus.
Jam primas felix portas sibi pandit honoris,
Rectius ut cœptum pergere possit iter.

Applau-

Applaudit Regina Themis, pia Patria vota
Fundit, Magnorum qvæ sibi poscit opem.

M. Jo. ERNESTUS Hering/ Colleg. Phil. Adj.

Πάντων Ῥωμαίων γένος αἰθῶν ἔπλετο λῷστον
Εἰδότα τῆς φωνῆς Ἑλλάδος εἶναι ὅλως.
Τηλόθεν ἐκ γαίης Ῥωμαίης ἔμβιος ἐλθὼν
Ῥωμαῖος, τί ἔποι; τοῦτ' ἔπος αὐτὸς ἔποι
Θάλλοντες συνίεισι γένος νῦν εἰς ἔχος αὐτό,
Ὅττι Σοφὸς, σώφρων ἅμμιγα Βάλδος ἔχει
Θαυμάζω σε φυῆς, θαυμάζω τοὔνεκα μνήμης,
Θαυμάζω κρίσεως, ὦ φίλε, ὅλε, τι ἧς.

M. JACOBUS Röser.

AUro munitam satis expugnarier arcem,
Dicebat Macedo nimis superbe,
Adscribens opibus virtuti qvod tribuendum:
Qvasi sit Locuples potens vocandus.
Virtus nobilium praclara scientia rerum:
Sunt CLAVIS, reserare qvâ licebit
Cuncta, qvibus toto nunc qvisq; superbit in orbe.
Hisce, nobilium jubar coruscum,
Totâ mente studes, probat hoc de clave qvod edis:
Qveis, perge modo, tibi patebunt.
Sancta Themis juris sacri secreta recludet,
Gloriâ recreans tuum laborem.

GOTTFRIED Hillmann Cam. Lus. Notar. Publ.

SI, nisi qvi studiis poterit TE vincere LOSSI,
Nemo probandus erit; nemo probandus erit.
Si, nisi doctrinæ poterit qvi vincere laude,
Præmia nemo meret; præmia nemo meret.
Si, nisi qvi poterit me vincere amore fideq;

2. So machstu es/mein Pylades/ingleichen/
Du hast das Recht dir eyfrigst fürgestellt/
Die Themis spricht/dein Lob sol nicht verbleichen/
So lange Sie verbleibet in der Welt.
Die Fama ist bereit auf beyden Seiten
Dich/ Musen-Sohn/ nach Würden zubegleiten.
3. Den Beyfall wird der GROSSE ZIEGLER geben/
Der deinen Fleiß schon längsten rühmen kan;
So recht! Mein Freund/so kanstu dich erheben;
Asträa bleibt dir günstig! zugethan.
Wer also pflegt der Tugend nachzugehen/
Der kan mit Ruhm so/wie du stehest/stehen.

CAROL AUGUST von Reitzschitz/Eq. Misn.

Ce sont, Monsieur, les *Clefs*, qve vous nous presentez
Qvi vous peuvent ouvrir le *Palais* de l' *Honneur*
pour recevoir un jour les *thresors du Bon-heur*
qvi sont gardé pour ceux, qvi bien ont travaillé.
Ces feuilles sont tesmoins de vostre travail assez
Où lon verra ce qve l'on ne voit point ailleurs.
Poursvivez ce propos, & soyez asseuré,
qve d' un si beau succez se resjouït mon cœur.

Rudolf. Frider. Schuldt.

SIt via dura licet celebris virtute vocari,
Attamen hoc certum qvod via tuta satis.
*H*anc semel electam solerti mente seqvaris,
Sedulitas tribuet præmia digna Tibi.

JOH. CHRISTOPH de Ponikau Nob. Misn.

PErdocto, LOSSI doctè de CLAVIBUS, ore
*D*isseris, ingenium monstrans ad maxima natum.
Non cadit in qvemqvam, qvos fama obscura recondit,
Qvod peragis jam. Nil capit hinc ignobile vulgus.
Miratur tamen & naso suspendit adunco,
CLAVI nil in Jure loci: qvis prodiit unqvam?
Inqvit. Sed tanti hæc faceres? contemnito vulgus.
Ast reputes, qvid, qvêis melior sententia menti
Dicant. *Nobilium his nulli virtute secundus*
Audis, crede, mihi. Sed & his audaculus audis,
Felix qvem stimulat modo sic audacia felix,
Hos fortuna juvat, qvi sic feliciter audent
Comprobat hos ausus traditq; Themis tibi CLAVIM,
Clavibus hisce seram promptè reserabis ad astra
Atq; perenne decus, famam, nomen q; parabis.

J. A. à S.